GROBIANUS
ET
GROBIANA

Auctore

FREDERICO DEDEKINDO.

LIBRI TRES.

Quinta Editio.

Cui adjungitur,

De Civilitate Morum Puerilium,

Per DES. ERASMUM Roterodamum libellus.



LONDINI,

Ex Officina ROGERI DANIELIS,

ANNO CIƆ IƆC LXI.

GROBIANUS ET GROBIANA

Authore

FREDERICO DEDEKINDO.


LIBRI TRES.

Quinta Editio.

Cui adjungitur,
De Civilitate Morum Puerilium,
Per DES. ERASMUM Roterodamum libellus.



LONDINI,
Ex Officina ROGERI DANIELIS,
ANNO CIↃ IↃC LXI.


TRINITY COLLEGE
LIBRARY.
CAMBRIDGE

BURCHARDUS MITHOBIUS

D. Studioſo Lectori, S.

SImplicitas veterum joculari carmine morum
　Reddita in Aonios eſtque redacta modos,
Et liber hic vitæ præceptis fertilis, ecce
　Vernat,ut Hyblæis Dædala terra roſis.
Pone ſupercilium facilis, durumque rigorem,
　Carmina quiſquis ad hæc pauca legenda venis.
Non ſemper triſti ducit ſua tempora vultu
　Prudens, ſed curas temperat ipſe jocis.
Nec pluviæ ſemper ſtillant, ſed ſolibus æther
　Æſtuat interdum, lucidaque aſtra micant.
Dulcia ſic miſcent auſtero ſacchara Baccho,
　Illa vetus faciunt ſuavius eſſe merum.
Quid rigida duros imitare fronte Catones ?
　Nec tibi quæ non ſunt ſcripta ſevera placent?
Iſtaque contemnis ceu frivola, reſque videtur
　Utilis his adeò nulla ſubeſſe jocis ?
Falleris , & quæ ſunt nondum tibi cognita , damnas,
　Judiciique fuit regula curva tui.
Nam rigidis major quò gratia legibus eſſet ,
　Tecta ſub his ludis ſeria multa legas.
Perlege, perlectus precium liber ipſe rependet,
　Et diſces mores per joca læta bonos.

Fruere, & Vale.

Iron Episcoptes *Studiosæ Juventuti civilitatem optat.*

ETHica concedant veterum morosa sophorum,
Cedat Aristoteles, cumque Platone Cato.
Concedat Cicero Latius, concedat Erasmus,
Et quotquot morum de gravitate docent.
Hic liber exactam dat morum simplicitatem,
Eque nova nuper prodiit ille schola.
Hunc, studiose puer, vigili perdisce labore,
Qui cupis ornatus moribus esse bonis.

In Dedekindum.

V*Ah! quantum est sapere?* ut *mores, Dedekinde,* libellus
Ipsos *Morosos* non sinit esse tuus!
Quisquis erat, præ Te, *Cato de Re Rustica* agebat,
Prodiret cum *de Moribus* iste *Liber.*
Auctior, & monitis multò *emendatior* exis;
Huc *Cato si redeat* jam, *Grobianus erit.*
Ethica Nichomachi quid sunt? *Moralia magna*
Quid? tanti non est totus *Aristoteles.*
Moribus instituit juvenes *Dedekindus*, ineptos
Quos, puto, Philosophus, quod nequit, esse docet.
Principibus placuisse viris vis? hinc pete Mores,
Mores vix tales *Cæsaris Aula* videt.
Rustica si *Thidile* tibi sit captanda, merum Rus
Ecce tibi, quod vel *Virgo Sabina* probet.
Scaliger emendat malè condita *Tempora*; *Mores*
Emendat, majus quod, *Dedekindus*, opus.
In spice in has tanquam speculum, Lector bone, Chartas,
Si nævum hîc cernas, ne sit in ore vide.
Tam malè *moratus* ne sis, ut *lecta priusquam*
Sint joca, castiget triste supercilium.

T. G.

Ad Ornatißimum Virum,

Dn. SIMONEM BINGIUM,

Haſſiacum Secretarium,

FREDERICI DEDEKINDI

PRÆFATIO.

OPto tibi quantam virtute merere ſalutem,
O mihi non multos inter amate Simon.
Pauca loquar tecum: quæ multa negotia tra-
Te mihi, dicturo multa, vacare vetant. (ctas,
Quæ modò noſtra libris cantarat Muſa duobus
Carmina, de vitæ ſimplicitate rudis,
Illa ſub incudem tibi jam revocata refinxit
Pieris, & triplici protulit aucta libro.
Iamque iterum totum (faveat fortuna) per orbem
Auſpicio Bingi mittimus illa tuo.
Ergo quid intendam nugis juvenilibus, audi,
Conſilii ut ratio ſit tibi nota mei.
Carpimus indecores joculari carmine mores,
Et vetus antiquæ ſimplicitatis opus.
Si meus hic hominum fuerit liber utilis ulli,
Corrigat ut mores doctior inde ſuos,
Utque velit tandem vitæ damnare prioris
Ruſtica quæ ſolitus facta patrare fuit.
Nil moror ulterius, metam obtinuiſſe videbor,
Quæ fuerat curſu meta petita meo.
Vix tamen eventus adeo ſperare ſecundos,
Cum mala ſint nimium tempora noſtra, licet.
Sperantem terrent magnorum exempla virorum,
Qui celebres magno ſunt in honore viri.
Quid memorem multa clarum virtute Platonem?
Quoſque vehit celebri Græcia laude ſophos?
Nonne hominum fruſtra tentarunt flectere mores,
Et placida mentes arte domare feras?
Scriptores nihilo plus profecere Latini,
Cura quibus populos magna docere fuit.

Tullius

Tullius officium Romano tradidit orbi,
Quod deceat juvenes, quod deceatque senes.
Quid tamen est scriptis adeo præstantibus actum?
Quis minus est hominum quàm fuit ante ferox?
Utile formandis puerorum moribus, istis
Temporibus scripsit Roterodamus opus.
Quæ tamen utilitas hoc digna labore secuta est?
Consilium vitæ quis melioris init?
Exiguum certè numerum, qui talia curet,
Cernimus: in vitium cætera turba ruit.
Nil ego nunc delicta queror vulgaria vitæ,
Quæ veniunt quavis multa videnda die.
Quæ quia momenti vix sunt alicujus, honestis
Illa, nec adversor, dissimulare licet.
At videas multos (hominum modò respice mores)
Qui superent omnem rusticitate modum.
Sive famem contra sævam data fercula sumant,
Sive rigent poto guttura sicca mero.
Nec se respiciunt, & quonam fine creati
Sint homines, ullo non meminere modo.
Nil juvat ætherea traxisse ab origine mentem,
Et ratio turpi victa furore jacet.
Barbarico vivunt crudarum more ferarum,
Quoque vocat ventris cæca libido ruunt.
Immodicè præter quam corporis exigit usus,
Distendunt variis viscera laxa cibis.
Poculaque in bibulum confundunt plurima ventrē,
Tum quoque cùm potos non sitis ulla premit.
Nec satis est adeò petulanter rebus abuti,
Cunctaque per lautam mittere parta gulam:
Quin etiam jactant sua crimina turpiter, atque
Ob sua laudari facta pudenda volunt.
Hoc vitium longæ jam consuetudinis usus
Comprobat, & magnum non sinit esse scelus.
Scilicet hoc homines pacto præcepta sequuntur,
Quæ, ratio vitæ quæ sit honesta, docent.
Cur tamen & morum feritas manet omnis in illis?
Tot monitis adeò proficiturque nihil?
Lenibus admoneas aliquem de crimine verbis,
Et placidè, melius vivat ut ille, roges;

Ceu facias ludos, ridebit ſuaviter, & te
Deluſum fruſtra dicere multa ſinet.
Sin facinus verbis aliquod gravioribus auſis
Carpere, quod fieri non decuiſſe vides.
Incurres odium, rigiduſque vocabere cenſor,
Nullaque erit merito gratia parta tuo.
Atque ita jam nemo ſequitur meliora docentem,
Ingenioque libet vivere cuique ſuo.
Sic homines vanum docti ſumpſere laborem,
Nilque tot egregiis obtinuere libris.
Non tamen exemplis ego jam deterreor illis,
Quemque, ſcopum, multi non tetigere, peto.
Poſtque tot inſignes arte ingenioque Magiſtros,
Qui deceant mores quenque, docere paro.
Forſitan illud agens temerarius eſſe videbor,
Pectore fallaces ſpeſque fovere meo.
Sed ſperare libet, meliori ſidere forſan
Quam reliquis, cœptum jam mihi ſurgat opus.
Non ſimili vultu locuples hera reſpicit omnes:
Quod negat huic, illi ſæpius illa dedit.
Quis ſcit, an huic merces reſpondeat ulla labori?
Et valeam voti compos abire mei?
Fortunam experiar: quid enim tentare nocebit?
Fors aderit cœptis æquus Apollo meis.
Ut nihil obtineam, facilis jactura laboris
Illius, hoc carmen quo mihi conſtat, erit.
Sed quia præceptis rigidis nihil hactenus actum eſt,
Quæ fieri ſemper nil niſi honeſta jubent:
Tramite diverſo metam contingere eandem
Experiar, tritas nec ſequar ante vias:
Cunctaque jam fieri paſſim ſine more jubebo,
Turpia quæ factu, qui ſapit, eſſe videt.
Ante ſuos oculos agreſtia quiſque videbit,
Ingenuos mores quæ male, facta, decent.
Forſitan illa videns, vitam emendare priorem,
Barbariemque animi ponere quiſque volet.
Vix queat hoc alia vitium ratione levari,
Senſibilis cujus deſiit eſſe dolor.
Altius in noſtris radices moribus egit,
Quam facili tolli rurſus ut arte queat.

Non

Tullius officium Romano tradidit orbi,
 Quod deceat juvenes, quod deceatque ſenes.
Quid tamen eſt ſcriptis adeo præſtantibus actum?
 Quis minus eſt hominum quàm fuit ante ferox?
Utile formandis puerorum moribus, iſtis
 Temporibus ſcripſit Roterodamus opus.
Quæ tamen utilitas hoc digna labore ſecuta eſt?
 Conſilium vitæ quis melioris init?
Exiguum certè numerum, qui talia curet,
 Cernimus: in vitium cætera turba ruit.
Nil ego nunc delicta queror vulgaria vitæ,
 Quæ veniunt quavis multa videnda die.
Quæ quia momenti vix ſunt alicujus, honeſtis
 Illa, nec adverſor, diſſimulare licet.
At videas multos (hominum modò reſpice mores)
 Qui ſuperent omnem ruſticitate modum.
Sive famem contra ſævam data fercula ſumant,
 Sive rigent poto guttura ſicca mero.
Nec ſe reſpiciunt, & quonam fine creati
 Sint homines, ullo non meminere modo.
Nil juvat æther ea traxiſſe ab origine mentem,
 Et ratio turpi victa furore jacet.
Barbarico vivunt crudarum more ferarum,
 Quoque vocat ventris cæca libido ruunt.
Immodicè præter quam corporis exigit uſus,
 Diſtendunt variis viſcera laxa cibis.
Poculaque in bibulum confundunt plurima ventrẽ,
 Tum quoque cùm potos non ſitis ulla premit.
Nec ſatis eſt adeò petulanter rebus abuti,
 Cunctaque per lautam mittere parta gulam:
Quin etiam jactant ſua crimina turpiter, atque
 Ob ſua laudari facta pudenda volunt.
Hoc vitium longæ jam conſuetudinis uſus
 Comprobat, & magnum non ſinit eſſe ſcelus.
Scilicet hoc homines pacto præcepta ſequuntur,
 Quæ, ratio vitæ quæ ſit honeſta, docent.
Cur tamen & morum feritas manet omnis in illis?
 Tot monitis adeò proficiturque nihil?
Lenibus admoneas aliquem de crimine verbis,
 Et placidè, melius vivat ut ille, roges;

Ceu

Ceu facias ludos, ridebit suaviter, & te
Delusum frustra dicere multa sinet.
Sin facinus verbis aliquod gravioribus ausis
Carpere, quod fieri non decuisse vides.
Incurres odium, rigidusque vocabere censor,
Nullaque erit merito gratia parta tuo.
Atque ita jam nemo sequitur meliora docentem,
Ingenioque libet vivere cuique suo.
Sic homines vanum docti sumpsere laborem,
Nilque tot egregiis obtinuere libris.
Non tamen exemplis ego jam deterreor illis,
Quemque, scopum, multi non tetigere, peto.
Postque tot insignes arte ingenioque Magistros,
Qui deceant mores quenque, docere paro.
Forsitan illud agens temerarius esse videbor,
Pectore fallaces spesque fovere meo.
Sed sperare libet, meliori sidere forsan
Quam reliquis, cœptum jam mihi surgat opus.
Non simili vultu locuples hera respicit omnes:
Quod negat huic, illi sæpius illa dedit.
Quis scit, an huic merces respondeat ulla labori?
Et valeam voti compos abire mei?
Fortunam experiar: quid enim tentare nocebit?
Fors aderit cœptis æquus Apollo meis.
Ut nihil obtineam, facilis jactura laboris
Illius, hoc carmen quo mihi constat, erit.
Sed quia præceptis rigidis nihil hactenus actum est,
Quæ fieri semper nil nisi honesta jubent:
Tramite diverso metam contingere eandem
Experiar, tritas nec sequar ante vias:
Cunctaque jam fieri passim sine more jubebo,
Turpia quæ factu, qui sapit, esse videt.
Ante suos oculos agrestia quisque videbit.
Ingenuos mores quæ male, facta, decent.
Forsitan illa videns, vitam emendare priorem,
Barbariemque animi ponere quisque volet.
Vix queat hoc alia vitium ratione levari,
Sensibilis cujus desiit esse dolor.
Altius in nostris radices moribus egit,
Quam facili tolli rursus ut arte queat.

Non tamen auxilium modo deſperabimus omne,
   Una etiam dandæ cum via reſtet opis.
Nil prohibere juvat: forſan juſſiſſe juvabit:
   In vetitum ſemper turba parata ſumus.
Deſperata ſalus aliquando eſt cauſa ſalutis;
   Quodque minus credas poſſe juvare, juvat.
Nonne vides, dubio medicus ſuccurrere morbo
   Cum nequit, & ſuperat pharmaca ſana malum:
Ut varias animum ſolertem vertat in artes,
   Ægrotum docta curet ut ille manu?
Pharmaca nunc nimios lenit per amica dolores,
   Vulnera nunc acri pulvere ſparſa ligat.
Sæpe ferus membrum ſecat immedicabile ferro;
   Sæpius admotis ignibus urit idem.
Accidit & morbo ſuperante Machaonis artem,
   Ut medici nullam ſentiat æger opem.
Ille quidem calidas medicamina habentia vires
   Miſcet, & ægrotum ſumere multa jubet.
Nil tamen hac uſquam, tentet licet omnia, cura
   Obtinet, & docta plus valet arte malum.
Ergo ſuam vertens mox in contraria mentem,
   Antidoto morbum frigus habente petit:
Et miſero, quam non licuit ſperare ſalutem,
   Hac demum felix arte ſine arte tulit.
Sic ego cum videam præcepta ſalubria morum,
   Nil agere, & monitus commoda nulla ſequi:
Quæ fuerant facienda veto, fugiendaque mando,
   Ut doceam geſtus fœda per acta bonos.
Forſitan hæc aliquis jocularia ſcripta revolvens,
   His ſpeculum vitæ cernet ineſſe ſuæ;
Et tacita culpa, nulloque monente rubeſcet,
   Et fugiet poſthac turpe quod eſſe videt.
Qui tamen in ſpeculo te contemplaberis iſto,
   Verbaque multa tuis moribus apta leges:
Ne mihi, neve meo precor indignere libello:
   Iuſta nec eſt iræ cauſa futura tuæ.
Non mihi propoſitum fuit hic perſtringere quenquã,
   Degeneres mores carpere fervor erat.
Sin fuerit qui ſe præ multis eſſe notatum
   Credet, & indignè verba jocoſa feret;

Nove-

Noverit, hac ipsa sese ratione mereri,
Iam reus ut possit rusticitatis agi.
Hoc metuens, iræ moderare calentis habenas,
Quisquis ad hæc unquam scripta legenda venis.
Forsitan & tetricos offendent ista Catones,
Carmina de morum quæ feritate damus:
Meque librumque meum censura gravabit iniqua,
Et scelus hoc scripto grande patrasse ferar.
Nam vereor certè, nonnullos esse futuros,
Qui studium damnent consiliumque meum;
Meque putent hominum sanctos corrumpere mores,
Nec facienda ullo facta docere modo.
Et fateor, possum mala facta docere videri,
Sponteque currenti subdere calcar equo:
Qui tamen & nostri naturam inspexerit ævi,
Iudicium, reor, est vix habiturus idem:
Et nihil hac cernet metuendum parte pericli,
Nec mea cum damno carmina posse legi.
Nam nihil est,quisquã quod nostris moribus addat,
Rusticitas summum jam tenet ante locum.
Omnia quæ possunt scribi, plerique magistro
Turpia jam nullo facta docente tenent;
Et faciunt ultrò, laudemque in crimine quærunt,
Et, quibus ipsorum vita probetur, habent.
Nil equidem scripsi, factum quin ante notarim, et
Nascitur è gestis hoc mihi rebus opus.
Quæ tenuere prius quam scriberet ullus, an illa
Versibus è nostris discere velle putas?
An fieri quenquam pejorem posse putabis,
Ingenio qui non ad mala promptus erat?
Ergo mihi certum est, nihil hac me parte mereri,
Cur reus inductæ rusticitatis agar.
Si pro sum nulli (multis prodesse volebam)
Non labor hic ulli noster obesse potest.
Et mea propositi mens est sibi conscia recti,
Nilque rudis vulgi scommata salsa timet.
His redeo dictis ad te clarissime Bingi,
Tu mihi pro multis unus amicus eris:
Tu mea quo solitus juvenilia respice vultu
Carmina, & auctori,quod facis, usque fave.

Suscipe

Suſcipe tutelam promptus librique meique,
Subque tuo hoc tutum nomine carmen eat.
Dira venenatæ contra convitia linguæ,
Ludicra præſidio protege noſtra tuo.
Quid moror? hunc totum, quantus ſit cunque, libellũ
Accipe, ſubque tua nunc agat ille manu.
Si monitus ullos tibi præteriiſſe videbor,
(Non ego me paucos præteriiſſe puto)
Ipſe tuo arbitrio ſupple: jus carminis hujus
Omne, ſed ô tantum ſuſcipe, ſolus habe.
Siqua videbuntur noſtro ſupereſſe labori,
Arbitrio ſapiens omnia deme tuo.
Denique ceu cenſor capite in quocunque repones,
Qui faciunt noſtro facta notata libro.
Atque ita nos, regno cum ſis digniſſimus illo,
Tradimus hæc manibus ſceptra tenenda tuis.
Subjicimuſque tuis moderandos legibus omnes,
Quotquot opus veteris ſimplicitatis amant.
Ecce tuum imperium terris dominatur & undis,
Regnaque ſunt regno cuncta minora tuo.
Quod mihi tam magno reddis pro munere munus?
Sim tuus, id magni muneris inſtar erit.
Meque tuere tuum, cœptoque favore merentem
Proſequere, & rebus fautor adeſto meis.
En ego, ſi (quod agis) me delectaris amico,
Pro tibi jam prompto pectore gratus ero.
Atque aliud, faveant felicia numina tantum,
Aggrediar quondam te duce majus opus.
Interea, quoniam longo es digniſſimus ævo,
Multa, ſed ô felix, ſecula vive. Vale.

Datum Vuitebergæ, xx. *Martii,*
anno Domini 1552.

GRO-



GROBIANUS
SEU
GROBIANA,
DE ANTIQUA
MORUM SIMPLICITATE.

LIBER PRIMUS.



I tibi ſimplicitas priſcorum antiqua viro-
rum,
Et rudis, & nulli noxia vita placet:
Quam placuiſſe ferunt noſtris majoribus
olim,
Quæ ſegetum cultrix ruſtica turba fuit;
Huc ades, & noſtrum ſtudio non deſide carmen
Perlege: fors aliquid quod juvet inde feres.
Perlege, quóque modo deceat componere vitam,
Et mores, iſto carmine certus eris.
Ne dubita, ſimplex evades protinus, ullum
Si monitus noſtros pondus habere ſines.
Non equidem laudo cuicunque placere volentes,
Atque aliis vitæ facta probare ſuæ.
Dura tibi nimium fuerit provincia, cunctis
Ad placitum mores compoſuiſſe tuos.
Laudo qui poſſunt aliorum ſpernere de ſe
Iudicium, & fortes hos reor eſſe viros.
Quique bono nunquam ſe ſubmiſere magiſtro,
Qui ſe, quæ faciunt, cuncta decere putant.
Tu mihi proſper ades veterum non inſcie morum
Sylvane, ô pinu cincte virente caput;

Quo bene, ſimplicitas quæ ſit laudanda, canamus,
Pectora ſunt nutu noſtra regenda tuo.
Dicite montivagi, ſylveſtria numina, Fauni,
Dicite quæ rudibus vita ſit apta viris.
Dic, Lenæe pater, bibulæ notiſſime turbæ,
Pocula quo deceat ſumere plena modo.
Come cibis avide quondam præfecte vorandis,
Si tua conſtitui ſacra docere, fave.
Almaque ruſticitas, noſtro Dea maxima ſeclo,
Huc ades, & vatem dirige prompta tuum.
Non facilis labor eſt, mores formare decoros,
Sæpe gravis magnis res fuit illa viris.
Auxilio ſuperûm tamen has, & numine fretus,
Difficiles magno pectore inibo vias.
O etiam morum cenſor juſtiſſime Bingi,
Es bonus: auſpicio ſcribimus iſta tuo.
Carmina te vultu mea reſpiciente benigno
Uberior Muſæ vena futura meæ eſt.

CAP. I.

Qua modeſtia ſervanda ſit mane in veſtitu, capillis, facie & dentibus mundandis.

QUiſquis habes odio rigidi præcepta magiſtri,
Qui niſi de morum nil gravitate docet:
Huc propera, & placidis utentem vocibus audi;
Non tonat hic aliquis triſtia verba Cato.
Da mihi te docilem craſſo ſermone loquenti;
Nec dubita, parvo tempore doctus eris.
Diſcipulus facili ſuperare labore Magiſtrum,
Crede mihi, antiqua ſimplicitate potes.
Et licet hæc aliquis rigida de gente ſophorum
Vituperet, morum quæ documenta damus:
Non tamen illa tibi quicquam nocuiſſe videbis,
Sedula ſi Muſæ juſſa ſequere meæ.
1. Fulcra ſoporiferi cum liqueris alta cubilis,
(Quod fieri medium non decet ante diem)
Egregie civilis eris, ſi nulla parentes
Mane ſalutandi ſit tibi cura tuos.

Non homini cuiquam felicia fata preceris,
  Sæpe tibi grates dicere ne sit opus.
Prospera quantumvis optes, quid proderit illis?
  Optima non damnum est perdere verba leve.
Gens, sine, mane suos Hebræa salutet amicos.
  Quam tenet implicitam multa superstitio.
Cur tibi tam levium sit cura superflua rerum?
  Canitiem justos cura dat ante dies.
2. Non habet exiguas quoque pandiculatio vires,
  Si medicos par est credere vera loqui.
Accidit ex longo nervos torpere sopore,
  Atque male officii munus obire sui.
Excitat hos certo tibi pandiculatio motu.
  Utere: nec mores dedecet illa tuos.
3. Nec reliquis surgens te vestibus indue, nudæ
  . Indusium satis est imposuisse cuti.
Sed reliquas geminis vestes complectitor ulnis,
  Aspera si duro frigore sævit hyems:
Scilicet in calido jucundius est hypocausto,
  Induere, à sævo ne violere gelu.
Nec moveat, virgo vel fœmina si sit ibidem,
  Tu tamen utaris moribus usque tuis.
Sique tuis quisquam factis offenditur, illum,
  Cernere si talem nolit, abire jube.
Quisque tibi cedat, nec tu concesseris ulli,
  Conditione tua es liber, & esse velis.
4. Tandem ubi vestitus fueris, pendere solutas
  In genibus caligas (res decet illa) sines.
Namque ita virginibus tacita ratione placebis,
  Teque sibi optabit quæque puella virum.
Causaque tam justi manifesta videtur amoris,
  Sed non est isto commemoranda loco.
Non sat eris simplex, si corpus, vane, ligare
  Cœperis: & ventri vincula dura nocent.
5. Ne nimis evadas moratus, pectere crines
  Neglige, neglecta est forma decora viro.
Fœmineæ crines ornare relinquito turbæ:
  Comantur juvenes quos levis urit amor.
Crede mihi dominum te nulla puella vocabit,
  Si te composito viderit esse pilo.

Sint procul à nobis juvenes ut fœmina compti,
Scribit Amazonio Cressa puella viro.
Eximio tibi erit decori, si pluma capillis
Mixta erit, & laudem providus inde feres.
Scilicet hoc homines poteris convincere signo,
Non in stramineo te cubuisse toro.
6. Sint capitis crines longi, nec forcime tonsi,
Cæsaries humeros tangat ut alta tuos.
Tutus ut à tristi rigidæ sis frigore brumæ,
Vertice prolixus crinis alendus erit.
Cuncti homines quondam longos habuere capillos,
Quos modo Virgineus curat habere chorus.
Regna pater quando Saturnus prisca tenebat,
Tunc fuit in longis gloria magna comis.
Simplicitas veterum laudatur ubique virorum:
Quà potes, hos semper sit tibi cura sequi.
7. Dedecus esse puta faciemve manusve lavare:
Commodius crasso sordet utrumque luto.
Qui volet his vesci, per me licet, ipse lavabit,
Dicito: res curæ non erit illa mihi.
8. Forsan erit dentes qui te mundare monebit,
Sed monitis parens inveniare cave.
Recta valetudo corrumpi dicitur oris,
Sæpe nova si quis proluat illud aqua.
Quid noceat, dentes quod sunt fuligine flavi?
Iste color rubei cernitur esse croci.
Iste color fulvo quoque non culpatur in auro,
Auro quod nunquam non amat omnis homo.
Dentibus ergo tuis cur sit color ille pudendus?
Si sapis, hanc à te fac procul ire fidem.

CAP. II.

De jentaculo, & modestia oculorum, frontis, narium, item de garrulitate sternutatione, obscœnitate, tussi, ructu & de incessu, & habitu in plateis.

1. POscere quod comedas, ubi vix dum lumina somnus
Liquerit, in primis commeminisse velis.

2. Tota

2. Tota conde vola quamprimum acceperis escam,
Ne cadat è manibus non bene pressa tuis.
Tum poteris quadris uti cum prandia sumes,
Iam satis est nuda continuisse manu.
Multaque per digitos pinguedo diffluat omnes,
Quos volo te lingua lambere sæpe tua.
Prandia quo gestu, qua sint ratione voranda,
Non ita post longo tempore certus eris.
Sed mihi nonnullis de rebus es ante monendus,
Concio non nimium longa futura mea est.
Quo deceat totum pacto componere vultum,
Et corpus, paucis ante docendus eris.
3. Id caveas primum, ne forte modestia mores
In bene vivendo temperet ulla tuos.
Quis juvenes nimium possit laudare modestos?
Qui sapit, ignavos mox stupidosque vocat.
4. Non hominem rectis oculis aspexeris ullum,
Verte aliò vultus lumen utrumque tui.
Si recte aspicies, nimis esse videberis audax:
Tam juvenem gravitas non satis illa decet.
Omnia quæ spectas, distorto lumine spectes:
Omniaque aversa fronte loquare viris.
5. Esse verecundis oculis sine laudis amantes,
Et qui virtuti convenienter agunt:
Quo tibi cunque libet, tu lumen utrumque vagari
Permitte, id multum simplicitatis habet.
6. Nec male conveniet, frons ut sit torva minaxque,
Et faciem rugæ mille decenter arent.
Qualis aratori facies solet esse juvenco,
Verbera qui lanio percutiente tulit:
Vel fera qui contra rivalem bella paravit,
Et furit, & fervens non capit ira modum:
Talis erit juveni generoso vultus habendus,
Qui laudem quod sit fortis habere volet.
Scilicet ex vultu virtutes pectore clausas
Colligere exiguo quisque labore potest.
7. Nullaque morosus nisi verba austera loqueris,
Quando tibi quisquam conveniendus erit.
Comibus ad quosvis fueris si vocibus usus,
Et levis & petulans esse feréris homo.

8. Sin potes hanc de te ſpargi contemnere famam,
(Nil tamen, ut vera laude veharis, agas)
Solve loquax ſemper multis ſermonibus ora,
Ore tibi muto turpe ſedere puta.
9 Sunt ſoliti quidam ſuſpendere naribus aurum,
Vel gemmas quales India dives habet.
Hæc tibi divitias fortuna inimica negavit?
Non ideo fracto pectore triſtis eris.
Accipe conſilium non vana monentis amici,
Certus es, ex animo me bene velle tibi.
Qualiter à tectis dependens tempore brumæ,
Condecorat totam ſtiria longa domum:
Sic pituita fluens geminis à naribus ornat
Qui juvenes cultum ſimplicitatis amant.
Illa tibi gratis tanta ornamenta parantur,
Quæ puto non parvum ſunt paritura decus.
Cuncta tibi rerum bona contulit ipſa creatrix
Natura, ut vitæ proſpicit illa tuæ.
Sed modus eſt rebus ſervandus in omnibus, ergo
Hanc tibi menſuram qua modereris habe.
Mucor ubi patulo ſtillans influxerit ori;
Tunc emungendi tempus adeſſe ſcias.
Id cubito facies, & te civilior alter
Non erit: hanc laudem ſolus habere potes.
Sive tibi hunc veſtis præſtet ſeu pileus uſum,
Non fueris parva ſimplicitate rudis.
Totam implere manum, ſacræque illidere terræ.
Ut ſonitum tota reddat in æde, decet.
Et jaceat: quid enim cures? pede proterat ille,
Phlegma tuum qui ſe poſſe videre negat.
Vidi etiam ſpeculum multos de more gerentes,
(Appenſum manicæ funibus illud erat)
Si placet, exemplum capias ſtudioſus ab illis,
Pituita ſpeculi ſed ſubeunte vicem.
10. Edere nare graves ſonitus,& ducere ronchos,
Moribus adverſum non reor eſſe bonis.
Indicium eſt animi fortis, ſpiratio fortis,
Et facit ad famam nominis illa tui.
11. Sternutare volens vicino obvertito vultum:
Quo potius vertas vix reor eſſe locum.

Mos habet ut quidam bene ſternutantibus optent,
 Id tibi qui faciat forſan amicus erit.
Quo ſciat ergo ſuum te ſternutaſſe ſodalem,
 Illius ad faciem ſit tua verſa velim.
Tu tamen in ſimili cauſa bona nulla preceris,
 Vel tua ſi graviter ſternutet ipſa parens.
12. Eſſe pudens caveas, ullave rubeſcere culpa,
 Criminis admiſſi quos piget, illud agant.
Turpia quantumvis dicantur verba, notari
 Indignum ſtatuas eſſe rubore genas.
Te quoq; verba loqui nonnunquã obſcœna decebit,
 Dedecus hæc puero non didiciſſe foret.
Nominibus propriis res quaſque vocare diſerte,
 Nec lex nec divum relligio ulla vetat.
Turpia quæ vulgo ſtulta ratione videntur,
 Inſpice, naturæ ſunt moderantis opus.
Non ego conſueto ſeductus more loquendi,
 Naturam contra, bella movere velim.
Tempore veſicam juſto relevamus & alvum,
 Idque hominum nemo judicat eſſe malum.
Verba reformidant tantum, propriiſque vocari
 Nominibus rigidi talia facta vetant.
Quod genus hoc hominum? quæ tanta inſania mentis?
 Sit pudor in verbis, reſque pudore vacent?
13. Si nova quis narrat, quæ non audiveris ante,
 Nec tibi dicendum quod videatur habes:
Tum velut incautas labris comprendere muſcas
 Mordicus inſtituas, ora patere ſines.
Si qua videbuntur ſublato digna cachinno,
 Ne leviter riſu concutiare vide,
Verum ita, ut in tota ridentem audire platea
 Te poſſit, per eam ſi quis habebit iter.
Uſque tibi patulas os diducatur ad aures,
 Hinc tibi ridenti gratia major erit.
Sique videbuntur ſcabri rubigine dentes,
 Hoc poteris dominæ gratior eſſe tuæ.
Diſſilio riſu: geminare ſubinde memento,
 Non dubium id ſignum ſimplicitatis erit.
Sæpius & nulla cauſa exiſtente, cachinnum
 Tollere, non modicum laudis habere, puta.

Forſan erunt qui ſe deriſos eſſe putabunt,
Et tua non æquo pectore facta ferent.
Sic animis vanos irarum accenderis æſtus,
Atque tuo pulchre munere functus eris.
Quid noceat multis furioſam impellere bilem?
Materiam riſus res dabit illa novi.
14. Si qua voles falſa mendacia dicere lingua,
(Vera ego te jubeo non ita ſæpe loqui)
Poſt duo verba ſemel vel bis tuſſire juvabit,
Quid dubitas? multum commoditatis habet.
Forſitan in promptu non ſunt quæ verba loquaris,
Non male, dum tuſſis, hæc reperire potes.
Nec te verba loqui conficta intelliget ullus,
Scilicet eſt, falſum poſſe videre, labor.
15 Quando opus eſt vere tuſſire, hanc noveris artem,
Vicini faciem verte ſub ora tuam.
Hauriat ille tuæ ſpiracula dira tracheæ:
Illa refrigerium, ſi calet, eſſe queunt.
Si tua reppereris quenquam male facta ferentem,
Nil moveat: vana eſt viribus ira carens.
Imo & magnificis tua facta tuebere verbis.
Nil poteris pro te dicere? victus eris.
Argue quod vano tumeant præcordia faſtu,
Tam facilem nequeat qui tolerare jocum.
Quid faceret ſi non maſſa conſtaret eadem,
Qua ſumus humanum condita turba genus?
Scilicet impurum ſe reddi crederet, & te
Conficeret certa dura per arma nece.
16. Quando venit ructus, cur hunc retinere labores?
Quin potius, liber poſſit ut ire, juvas?
Diſſimulare ſtudes, & ſupprimis ire volentem,
Quid facis? ah clara voce juvandus erat.
Nec facili teneas, quando volet ire, labore.
Et tibi, ſi teneas, damna timenda feret.
Flatus enim ſtomacho ſi concludatur operto,
Carcere quo nequeat liber abire ſuo:
Letiferos diro corruptus carcere morbos,
Et mala quæ numero ſint caritura, dabit.
In caput aſcendet, totumque in corpus abibit.
(Heu nimio precio ſtet pudor ille tibi.)

Nescio quid redolens hinc fiet anhelitus oris,
Forsitan & toto corpore putris eris.
Inde per infidum crepitus proruperit anum,
Nec fuerit sonitu proditus ille suo:
Naribus heu tetro fiet manifestus odore,
Nec poteris crimen dissimulare tuum.
Maxima ut hęc igitur prudens incommoda vites,
Ne tibi sit ructum velle tenere labor.
17. Est amor in stratas urbis prodire plateas?
Purgatum capitis tegmen habere cave.
Qui nimios ambit, muliebria munera, cultus,
Ridendus merito cuilibet ille venit.
18. Nec, licet à multo sit calceus undique cœno
Oblitus, ut purges sit tibi cura, velim.
Quid purgasse juvet, cum sit tibi rursus eundum
Stercora per? vanus non foret ille labor?
19. Et toga longa pedes tibi demittatur ad imos,
Hoc erit antiquæ simplicitatis opus.
Et tua sic verret post te vestigia, ne quis
Quo sis progressus, cernere possit iter.
Latus & extrema limbus tibi vestis in ora
Collecto plateæ stercore firmus erit.
Viderit hoc aliquis spatio distante remotus,
Te bene prætextam credet habere togam.
Panniculos mittunt Bombycum munera Seres;
Hinc procul in Scythica munera nata plaga:
His credêre tuas solitus prętexere vestes,
Infima si lato plena sit ora luto.
20. Sin minus ista juvant, (quoniam nova tempora mores
Insolitos secum ferre subinde solent)
Veste brevi induitor, quæ vix tegat undique lumbos,
Quæ tibi detectas non vetet esse nates.
Hoc gaudent cultu qui Martia castra sequuntur,
Quique modo nomen nobilitatis habent.
Et tibi, ut aut miles, vel nobilis esse puteris,
Cura sit ut semper veste togere brevi.
In quacunque modum re conservare decorum est,
Illa sed hoc saltem regula falsa loco est.
Neglectus juvenem cultus decet, inquit Erasmus,
Quis dubitet tantum dicere vera virum?

Huic igitur credens veſtitum neglige, nec te
  Qui cultus deceant reſpice, quive minus.
21. Brachium utrunque ſimul poſt terga reflectere (diſce,
  Seu ſtes, ſeu vicos forte per urbis eas.
Sed mea ſedulitas, ne ſit prolixior æquo,
  Quod ſupereſt verbis ſignificabo tribus.
Hoc volo te totam ſtudio componere vitam.
  Sic volo te mores inſtituiſſe tuos.
Ut qui te videat, non falſo dicere poſſit,
  Hic vere ſimplex eſt & agreſtis homo.

CAP. III.

Menſa quomodo adornanda & removenda, & de menſæ miniſterio.

ECce puer menſam jam pridem ſtravit, & ecce
  Fercula ſunt avidæ lauta parata gulæ.
Lætus es: eſuriens patinis adhibebere plenis,
  Hæc reprimunt ſævam pharmaca ſana famem.
Te tamen ante tuo Domino ſervire neceſſe eſt:
  Poſt, quod edas rapido protinus ore, feres.
(Nec tamen officium famulandi promptus obibis,
  Ni ſemel atque iterum juſſerit illud Herus)
Iamque quibus deceat te moribus eſſe docebo,
  Tu modo ne dubita moriger eſſe mihi.
Quid quereris nimium ſubtilia juſſa videri
  Quæ damus? & pavido ſuffugis illa metu?
Ruſtica Muſa mea eſt, præceptaque ruſtica tradit,
  Diſcere quæ facili cuncta labore potes.
Quæ ſemel es monitus, ſemper facienda memento,
  Perque tibi cunctos eſſe tenenda dies.
Sive tuo ſolus domino, ſeu pluribus adſis,
  Sive domi ſumas prandia, ſive foris.
Eſt eadem ratio multis ſervire, vel uni.
  Et tibi mos idem ſemper habendus erit.
1 Cum ſervire voles prandentibus exue veſtem,
  Officium impediat ne toga laxa tuum.
Sufficit ut caligis indutus edentibus aſtes
  Promptus, & ut thorax pectora nuda tegat.

Atque

Atque ita quam gracili sis corpore quisque videbit :
 Laus ea nequaquam rejicienda tibi est.
2. Quasque geris vestes, minime decet esse ligatas.
 (Versibus id paulo doctus es ante meis)
Quas natura tegi partes mandavit, ad illas
 Demittas geminas absque pudore manus.
Sic ego matronis, castisque placere puellis,
 Ingenuisque putem te bene posse viris.
3. Non placuere mihi pede qui nituntur utroque,
 Et sua sollicite crura locare solent.
Tu pede nunc dextro, modo lævo insiste vicissim,
 Idque fac, ut nunquam stes in utroque simul.
Sic dum niteris hoc, requies conceditur illi :
 Alterna requie quæ caruere labant.
4. Semper & instabili gressu titubare memento:
 Mobilitas juvenes irrequieta decet.
Pigra quies scabiem morbosque utentibus adfert ;
 Utiliter moto corpore, sanus eris.
Scilicet & fabri titubant, cum follibus auras
 Accipiunt: nec res dedecet illa fabros.
Cur igitur tibi non quoque sit res illa decora?
 Semper enim pulcrum, quod decet, esse solet.
Disce, quod ex usu sit, ab omnibus, atq; sequendum
 Pone bonum vultus quemlibet ante tuos.
5. Utque manu nunquam non gesticuleris utraque
 Effice: res magna est, non tenuisse manus.
Ocia mortales culpare ignava solemus,
 Ocia laudando sunt fugienda viro.
Nonnihil ergo manu fac semper utraque labores,
 Desidiæ turpem ne mereare notam.
Dextra ministerium subeat manus : altera braccas,
 Decidere à nudo femine posse, vetet.
Si nihil est aliud, digito te scalpe sub aurem,
 Aut manibus sparsam digere utrisque comam.
Vel capitis tegmen digitis assuesce rotare,
 Vel gestus habeas qui tibicunque placent.
Aut etiam doctus potes esse Poeta videri,
 Incipiens ungues rodere dente tuos.
Id faciunt gravium meditantes pondera rerum,
 Quique canunt Clario Carmina digna Choro.

6. Vel

6. Vel tua ceu torvus diſponito brachia miles,
Vt lateris coſtas tangat utrinque manus.
Credo equidem, pugnax reputaberis eſſe videnti,
Brachia te tali diſpoſuiſſe modo.
7. Nil niſi ſis juſſus facias, nihil utile tractes:
Facto quantumvis eſſe putabis opus.
Præmia, ſi quid ages injuſſus, nulla ſequentur,
Gratiaque officii parva futura tui eſt.
8 At ſi quis fuerit, quem non ſatis eſſe putabis
Compoſitum, hunc oculis aſpice ſæpe tuis.
Quicquid aget, ſolers attenta mente notato,
Quoque eat, & quo ſtet, quo ſedeatque modo.
Obſervaque epulas, quo geſtu & pocula ſumat,
Qua ratione ſuas collocet ille manus.
Sique tibi illius mores & vita videntur
Vel modicum riſum vel meruiſſe jocum:
Sufficiens cauſa eſt: ingentem tolle cachinnum,
Teque nihil riſum diſſimulare velim.
Imo & in illius jacias dicteria mores:
Forſan erit ſapiens qui modo ſtultus erat.
Quoque hominum fuerit numeroſior illa corona,
Hoc lepidos mordax tu magis ede jocos.
Scilicet hoc ſapiens magis eſſe videberis illo,
Quo mage mordaci quoſlibet ore petes.
9. Fercula fortaſſis menſæ nova ferre juberis,
Semper ibi hac uti providus arte potes,
Eſuriens diſco meliorem præripe partem,
Illa tibi ſummo jure tenenda venit.
Scortea non alios tibi pera feratur ad uſus,
Quam bona ſi libeat tollere fruſta tibi.
Ergo etiam ſi quis te viderit illud agentem,
Propterea nimium commoveare cave.
Quin potius verbo ſi te objurgaverit uno,
In promptu facinus quod tuearis habe.
An ſcelus eſſe putas reliquis comedentibus, inque,
Tempore me tanto non bene ferre famem?
Hoc ubi fatus eris, nihil amplius ille loquetur,
Verbaque continuo per tua victus erit.
10. Poſt ubi lauta voles imponere fercula menſæ,
Cura ſit, ut placide non nimis illud agas.

Tam placide pones, ut jus cum carne resultet,
Panis & infuso jure natare queat.
11. Cum satis ederunt, debentque superflua tolli,
Vnica consilii summa erit illa mei.
Subtrahe te dominis: ut & hunc vitare laborem
Possis, ne, vires quo superentur, agas.
Relliquias dominus de mensa colligat ipse,
Apposuisse dapes dic satis esse tibi.
Et satis expectasse diu, stomachumque latrare,
Hunc modo placandi tempus adesse cibis.
Sin famulum verbis revocaverit ille severis,
Incipe, sed lento, velle redire gradu.
Quæ nimia est, magno multos properatio damno
Lædit, & in parvis sunt bona multa moris.
12. Cumque redis, nullo quæ restant ordine tolle,
Ad bene tollendas quid facit ordo dapes?
Stulta superstitio est homini vitanda modesto.
Cur? ubi relliquias colligis, illa placet.
13. Multa levato simul, ne sæpe recurrere fesso,
Ordine tollenti pauca, necesse fuat.
Ire per ambages, cum sint compendia præsto,
Stultitię summum duxeris esse gradum.
Sic quoque, relliquias paulatim tollere, ineptum est,
Cum pariter liceat cuncta levare tibi.
Tum quoque (ne dubites) erit excusabilis error,
Si fuerint digitis omnia lapsa tuis.
Pondere eras etenim vires superante gravatus,
Brachiaque impositum lassa gravabat onus.
Robore vix qui te multum superabat & annis,
Sustineat manibus pondera tanta suis.
Sique levare jubet te nemo, levare caveto,
Aspicitoque oculis quę cecidere tuis.
Et ridere potes quasi res bene gesta fuisset,
Idque tibi vitio vertere nemo potest.
Sin fueris jussus, tum lapsa recollige tristis:
Et quasi pœniteat signa dolentis habe.
Tollere cuncta simul si non potes, accipe partem,
Cętera per terram sparsa jacere sine.
Non equidem spero fore de prandentibus unum,
Deflendum facinus qui putet esse tuum.

Imo cum risu tibi digna encomia laudum,
Quæ nimia es meritus simplicitate, canent.

CAP. IV.

Qui mores in mensa servandi, ante apposita cibaria.

CLara ciet vacuus jamdudum murmura venter,
Tamque monet longam se male ferre moram.
Eia age jam tandem te post jejunia mensæ
Sumendisque cibis, qua potes arte, para.
1. Vincula si ventrem constringunt ulla, relaxa,
Liber ut arbitrio diffluat ille suo.
Ne tamen omnino nihil esse puteris honestus,
Vincula non libeat solvere cuncta simul.
Pauca potes, si sunt constricta, relinquere lora,
Quæ post commodius solvere tempus erit.
2. Ante lavare manus quam suavia prandia sumas,
Credideris nunquam muneris esse tui.
Quam facile est gelida manus ut sit purior unda?
Quælibet impuras terra refundit aquas.
Terra quod emisit si mundum credere fas est.
Tu quoque jam toto corpore mundus eris.
3. Nec digitis longos præcidere convenit ungues,
Unguibus in longis gratia magna latet.
Unguibus Accipiter longis quoque corripit escas,
Principibus tamen haud displicet ille viris.
Si tamen est animus præcidere, id inter edendum,
Ocia cum fueris paucula nactus, ages.
4. Si quis honoratus debet discumbere tecum,
Ut sedeas primo sit tibi cura loco.
Surgere si quisquam sella te jusserit illa,
Surgere tu magnum crimen habere puta.
Nec dubites ingens tibi dedecus esse, supremo
Si pulsus sedeas inferiore loco.
Cur alii cedas quo non sit dignus honorem?
Cur tibi despecto non habeatur honos?
An dubium est unum cunctos habuisse parentem?
An non æque omnes pulvis & umbra sumus?

Primus Adam duro cum verteret arva ligone,
Pensaque de vili duceret Eva colo:
Ecquis in hoc poterat vir nobilis orbe videri?
Et modo quisquam alios ante locandus erit?
5. Serius ad mensam si quando accedis, & illic
Pransuro sedes jam tibi nulla vacat.
Stare diu minime tibi convenit: utile membris
Hoc erit, ut sumas prandia læta sedens,
Pelle loco socium, qui, quod sit viribus impar,
Nil tibi pro rapta sede nocere potest.
Cedere si nolet, nolentem detrahe collo:
Cedere majori præcipit ipse Cato.
6. Forsan adhuc panis cultello hesternus adhæret,
Aut magis est alio sordidus ille situ.
Huic vitio poterit succurrere calceus, illum
Exue, si cotis destitueris ope.
Vertitoque exutum, versoque illidito cultrum,
Inde tibi splendens, inde & acutus erit.
Si te quis fuerit sic admiratus agentem,
Respondere potes, moris id esse tui.
7. Tardius optatas apponi videris escas,
Et fieri longam te esuriente moram:
(Forsitan officium neglexit lixa coquendi,
Vel malus inceptum fraude moratur opus)
Ira animum subeat, furor est justissimus iræ
Quæ graviter, causas, cur moveatur, habet.
Posce dapes pleni magnis clamoribus oris,
Quam potest intenso gutture posce dapes.
Voceque cessantes verbisque minacibus urge,
Sæpe subest parvis maxima pœna moris.
8. Forsan & instructæ qui dulcia fercula mensæ
Inferat, à lixa dante, minister abest.
Tu potius longum jejuno ventre sedebis,
Fercula quam reliquis vilior ipse feras.
Nemo tibi facinus tantum persuadeat auctor,
Ne vel Romuleæ Tullius urbis honos.
Stultus id exiguum tibi dedecus esse putares,
Servitium facili vile subisse manu?
9. Interea varias tere tempora longa per artes,
Ocia sunt pigris insidiosa viris.

Si mala te ſcabies dulci prurigine vexat,
Qua liceat, cauſam, fallere tempus, habes,
Scalpe frequens digitis (nihil eſt jucundius illo)
Ulcera, quæ multa putrida tabe fluunt.
Aut velut exciſo quondam ſub monte metallum
Quæritur in venis terra benigna tuis:
Sic ſcabiem immiſſo varie rimabere cultro,
Doctus & occultos ingrediere poros.
Inde nec abſterſo cultro data prandia ſumes,
Nec digitos gelidæ flumine lotus aquæ.
10. Vermiculi teneram ſævi infeſtare juventam
(Experto dubitas credere?) ſæpe ſolent.
Bis tribus ingreſſi pedibus nituntur, & inde
Conveniens multo de pede nomen habent,
Hos quoque ſi ſentis depaſtum rodere corpus,
Non tibi protractas ire querêre moras.
Avulſos capitis modo crinibus abſtrahe, & illos
Strenuus impreſſo fortiter ungue doma.
'Eque ſinu, vivos, miles fortiſſimus, hoſtes
Profer, & in menſa corpora capta loca.
Delicias illic faciant tibi mille, videnti
Qua moveant celeres conditione pedes.
11. Omnia defuerint, tamen haud tibi defore quadras
Crediderim: his longæ tædia pelle moræ.
Inſpice, ſi non ſunt omnes velut eſſe volebas,
Emendaturas protinus adde manus.
Sæpius artifici turpis committitur error,
Quando celer propero multa labore parat.
Impiger educto tu ſingula corrige cultro,
Quæ poterant oculis eſſe moleſta tuis.
Corrige, & inciſis orbes inſignibus orna,
Ingratumque tuo non erit illud hero.
12. Impoſitam menſæ crebris te pungere mappam
Ictibus, haud quemquam qui vetet eſſe velim.
Linea vulneribus menſæ velamina multis
Confice, res uſu non caret illa ſuo.
Tale malum Dominus fieri ſibi ſæpe timebit,
Materiam tarda cui dedit ipſe mora,
Temperiuſque dari cupido ſua fercula ventri
Præcipiet, proprio cautus eritque malo.

13. Æneus in mediæ quoque ponitur æquore mensę
Circulus, impositas sustinet ille dapes.
Ictibus huic raptum crebris illidito cultrum,
Vtilitas duplex inde venire potest.
Afficies teneras claris tinnitibus aures:
Audire hos multi se quoque posse velint.
Inde coquum de te dominumque monebis,& illos
Esse diu immemores non patiere tui.
14. Culter Heri in mensa positus patrisve jacebit,
Al eriusve, tibi qui bene notus erit,
Arripe, & in saxis aciem ferroque retunde,
Ne nimis & justo promptius ille secet.
Inde tuo existat dominove patrive periclum,
Vulnera ne nimium dura secando ferant.
15. Denique si ventrem miser exonerare fuisti
Immemor, & jam te sarcina tanta gravat,
Et metuis caligas modo ne descendat in ipsas,
Atque novo totam turbet odore domum.
Surge citus mensa, causamque rogantibus, inque,
Ventris eo sævum depositurus onus.
Inde redi, illotis mensæque accumbito palmis,
Ne noceat longas nectere velle moras.
Forsitan accubitum dum propter balnea differs,
Diripiat positos cętera turba cibos.

Cap. V.

De moribus inter edendum observandis.

1. SOrbilis inprimis jejuno apponitur esca,
Ventriculo melius quod queat illa coqui:
Et tibi adhuc cupido cochlearia concava desunt
Nec facile apposito est abstinuisse cibo:
Quid dubitas patinam roseis apponere labris,
Immissoque datas ebibere ore dapes?
Ipsa parens rerum, quæ vita humana requirit,
Cuncta tibi larga contulit ecce manu.
Diogenes etiam cochleare abjecit, & hausit
Ex liquido palmis pocula fonte suis.

Hunc

Hunc manuum demens Cynicus non noverat usum.
   Doctus ab infanti ni foret ipse senex.
2. Fercula cum fuerint mensa quæcunque locata,
   Sit tua ut in patina dextera prima, vide.
Et tibi quod placitum fuerit citus arripe frustum,
   Ne tibi præceptum protinus alter edat.
Si sapis, hunc morem semper retinere memento:
   Utile id est ventri conveniensque tuo.
Invidus obliquis id viderit ullus ocellis,
   Dicito, quisque solet proximus esse sibi.
3. Forsan & in disci procul à te parte remota,
   Tollere quam cupias, portio lauta jacet.
Et tibi nullus adest hominum qui porrigat illam,
   Arripe protensa protinus ipse manu.
Quid refert etenim quod non in parte propinqua
   Te coram, ut positum debuit esse fuit?
Nescio quid civile sapit convertere lancem
   In gyrum, ut veniant fercula lauta tibi.
Id facinus tali potes excusare colore,
   Promptus ad urbanos ut videare jocos:
Taliter ut referas circum cœlestia volvi
   Sidera, nec stabilem semper habere locum.
Inde quid efficiant propria virtute Planetæ,
   Id sine vicinum commemorare tuum:
Ille tuo pugnum ridens impegerit ori:
   Motus ab ætherio venerit ille polo.
4. Quod tibi de lautis dapibus proponet amicus,
   Arripe quo citius fiat utraque manu.
Quodque dedit retine totum, totumque vorato,
   Si sapor est gratus faucibus ille tuis.
Nil tibi profuerit vicino reddere partem,
   De tibi propositis, si placuere, cibis.
Quique tibi dederat, non debes dicere grates,
   Sit licet eximio dignus honore co'i.
Ipse mihi poteram quæ vellem sumere, dices:
   Nil opus officio crede fuisse tuo.
Hæc semel atque iterum responsa dedisse juvabit,
   Et modo, quid prosint hæc tibi, certus eris.
Nempe tibi nemo post factum porriget illud
   Frusta ex appositis ulla voranda cibis.

Ipſe igitur poſthac, & quæ tibi cunque placebunt,
Arbitrio poteris ſumere fruſta tuo.
5. Omnia per patinam convertas, omnia tentes:
Nec niſi quæ placeant ſunt comedenda tibi.
Pectora ſæpe gravis mortalia detinet error,
Et quævis oculos fallere cauſa poteſt:
Sæpius aſpectu quod pulchre apparet opimum,
Lautum, ſi guſtes, experiere parum.
Cuncta igitur lingua cautus guſtuque probato,
Quæ placuere oculis fercula viſa tuis.
Si ſapor eſt gratus, nec diſplicet ille palato,
Non opus eſſe tibi me monitore putem.
Sin expectatum deprendis abeſſe ſaporem,
Quid facias, noſtro carmine doctus eris.
In patinam rurſus ſi vis jactare licebit:
Cur etenim ſtomacho quod male quadret edas?
Vel retinens, quacunque libet tibi parte, vorato:
Hoc equidem nullum poſſe vetare reor.
6. Compreſſam digitis arrodere dentibus eſcam,
Et decet, & ſecum commoda multa vehit.
Parcis enim tenero (magna ô ſapientia) cultro
Oſſibus illiſus ne ferat ille malum.
Quod ſuper eſt patinæ viſum eſt tibi reddere? laudo:
Mox alius forſan, qui petat illud, erit.
" Invidia eſt hominum naturæ inſculpta malorum,
" Quod ſupereſt, alii cedere nolle, bonum.
Quod tibi diſplicuit rapiet cupidiſſimus alter,
Et vel ut accepto munere, gratus erit;
Vtque cibis vacuam præſentibus expleat alvum,
Ore tibi rapido, quod ſuperabat, edet.
7. Commodius tamen & civilius eſſe putarem,
Vicino ambeſam propoſuiſſe dapem.
Accipiet lætus, grateſque tibi inſuper addet,
Te quod adhuc memorem ſentiat eſſe ſui.
Argumentum ingens non ficti erit illud amoris.
(Secula quem raro noſtra videre ſolent)
Quod dederis carnes jam de quibus ederis ipſe
Vicino, & cum te non roget ille, tuo.
Vix equidem credo fruſtum quod tale parenti
Det Canis, eſuriem quamlibet illa ferat.

8. Elixam

8. Elixam Cererem, Bacchive liquentia Promum
  Vina vides parca ſuppeditare manu?
Pocula poſt tergum prudens tibi plena repones,
  Nec, quis ut invito te bibat inde, ſines.
Cum bibis ex illis, reliquis ſitientibus, inque,
  Sollicitum pro ſe quemlibet eſſe decet.
Vos quoque jam potum circumſpexiſſe decebat,
  Guttura ſi curæ ſicca rigare fuit.
9. Cum bene de primo repleris viſcera miſſo,
  Et jam quæ placeat venerit eſca tibi:
Siqua ligata tenent ventrem, modo vincula ſolve,
  Ad præſens fias quo magis aptus opus.
Nil pudeat: ſi quid credes tamen eſſe pudendum,
  Id poteris tali diſſimulare joco:
Cum tibi vicino te permutare ſodali,
  Finge dolo veſtis vincula velle tuæ.
Et pete ut ante tibi ſua præbeat ille videnda,
  Dic tua te dempta promere velle mora.
Hæc erit in promptu ſolvendi occaſio lori,
  Quod pudor ante tibi ſolvere magnus erat.
Jamque tuis ſi quid corroſæ carnis inhæret
  Dentibus, inſerta deme repente manu.
Cum caro fallacis Crocodili in faucibus hæſit,
  Exiguus facili ſubvenit ales ope.
Ora etenim volucrum roſtris elinguia pandit
  Bellua, mox eſcam qui petat ales adeſt.
Ille feræ dentes impune pererrat hiantis,
  Fruſtaque de patula fauce relicta legit,
Hac opus arte tibi nihil eſt, natura benigne
  Proſpiciens, digitos ipſa manuſque dedit.
Os digitis ſcrutare tuis, aut utere cultro,
  Immunda officium cur tibi præſtet avis?
10. Quodque revulſiſti de dentibus, inſpice quid ſit,
  Et ne quid pereat protinus illud ede.
Aut aliud non purgato prius accipe cultro
  E patina fruſtum quod tibicunque placet,
Idque tuo ridens transfixum appone ſodali,
  Terque ut edat blandis voce quaterque roga.
Extractaſque tuo ſordes ubi ſumpſerit ori,
  Materia riſum ſufficiente dabis.

Hoc

Hoc etiam reliquis urbanus habebere pacto,
 Natus & Attæis esse ferere jocis.
11. Nescio cur aliqui soleant abstergere cultrum,
 Cum de communi scindere pane volunt.
Insipiens adipem mappæ cur illinis albæ?
 Cur quod habet solidæ nil rationis agis?
Utilius poteras communi abstergere pane;
 Pinguior, & linguæ gratior ille foret.
Forsan & hæc aliis res non ingrata fuisset,
 Si modo de pingui pane libenter edunt.
12. Hoc etiam (quamvis non nil videatur agreste)
 Conveniens ventri fors queat esse tuo.
Quando dapes lautas in prandia miserit hospes,
 Quas speres avidæ posse placere gulæ:
Exime de patulo mucorem nare fluentem,
 Exemptumque cava conglomerato manu,
Idque vel in mediam coram omnibus inijce lancem
 Callidus, aut gestus injicientis habe.
Sic reliquos dapibus citus absterrebis opimis,
 Quodque erat appositum, solus habere potes.
Fecit idem quondam vir famigeratus ubique,
 Nomina cui speculo noctua juncta dedit.
Hunc homines cuncti laudant, mirantur, honorant,
 Atque viri mores posse referre student.
Illius quoque tu, quantum potes, indue vitam,
 Et poteris gestis clarus abire tuis.
13. Quem tibi præscribam sumendi prandia finem,
 Quis modus huic operi debeat esse, rogas?
Desine, cum nimia venter distenditur esca,
 Cumque cibi rumpi præ gravitate times.
Hic mihi præterea fueras non pauca monendus,
 Prandia sumenti quæ facienda forent.
Sed vetat hora brevis fugitivi temporis, ergo
 Plura canam quando cœna parata tibi est.

Cap. VI.

Mores à prandio, & in deambulationibus observandi.

IAm bene visceribus per splendida fercula pastis,
 De rebus nullis anxius esse velis.

Hei

Heu male ventriculus curis affligitur æger,
Pejus ut ingestos concoquat ille cibos.
Inde feri infestant mortalia corpora morbi:
O fugito solers omne laboris onus.
Et tua per scamnum componito membra sapori,
Quo modo sunt scamno prandia sumpta tibi.
2. Sic jaceas donec cœnandi venerit hora,
Tum tibi de somno surgere tempus erit.
3 Dumque jaces, poteris crepitus impune frequenter
Edere, nec, qui te carpere possit, erit.
In manibus cum non habeas, potuisse teneri
(Verba tibi si quis dixerit ulla) nega.
4. Si libet ingrato non indulgere sopori,
Nec tua delectat corpora pigra quies:
Surge, gradu lento per vicos urbis iturus.
Res bene repleto convenit illa viro.
Escaque paulatim ventrem descendit in imum.
Id medici membris esse salubre docent.
5. Illotis manibus venisti ad prandia primum:
Illotis manibus rursus abire potes.
Nonne sinas potius sumptas tibi suaviter escas,
Quam digitos fatui fontis olere lacum?
6. Nec, licet immundo sit calceus undique cœno
Oblitus, ut purges sit tibi cura velim.
Quid purgasse juvet, cum sit tibi rursus eundum
Perque luto plenas stercoribusque vias?
Sumpseris incassum vanos purgando labores,
Vanaque propositi cura sit illa tui.
7. In media quando jam cœperis ire platea,
Et fuerit sumpti nausea facta cibi,
Dejice per vomitum ventri quodcunque molestum
Sit licet in medio nausea facta foro. (est,
Plurima nec moveat quod turba stet undiq; circum,
Tu tamen abjicias quod tibicunque grave est,
Fecit id Antonius multis spectantibus olim,
Is tamen Ausonia consul in urbe fuit.
Roma sed ô nostras quantum supereminet urbes?
O quanto es magno tu minor Antonio?
Quod facinus tanta vir tantus in urbe patravit,
Non tibi in his poterit dedecus esse locis.

Si nihil iſta movent magnorum exempla virorum,
  Quæ moveat propriæ cura ſalutis erit.
Corporibus medici recte auxilientur ut ægris,
  Ad vomitum cauti ſæpius illa vocant.
Menſe unum quovis vomitum pluresque requirunt,
  Præſervativum pharmacon illud habent.
Quid ſentis? quot eris recte valiturus in annos.
  Si vel quottidie biſve ſemelve vomas?
8. Quando tibi gravis eſt ſpatianti urina, repente
  Veſicam in mediis exonerato viis.
Fœmina caſta licet videat, vel honeſta puella,
  Non tamen incœptum deſtituatur opus.
Magna pudoris erit, ſed major habenda ſalutis
  Cura, bonum fragile eſt corporis ipſa ſalus.
Exiguo perdunt, quod vix reparabitur ullo
  Tempore, qui curam non habuere ſui.
9. Si qua tuos humeros veſtis tibi contegit, illam
  Neglige, res cura non eget ille tua.
Quin etiam ne ſe toga cruribus implicet, atque
  Impediat greſſus, detineatve tuos:
Diſjicienda utrinque manu eſt, à parte videri
  Corpus ut excellens anteriore queat.
Quæque tegenda toga fuerant, thorace tegantur
  Et caligis: illud quis neget eſſe ſatis?
Talia delectant caſtas ſpectacula matres,
  Virgineoque ſolent illa placere choro.
Scilicet aſpiciant quam ſis bene junceus, & quam
  Conſtringant ventrem vincula firma tuum.
Protinus ergo tui captæ accendentur amore,
  Fœmineus quavis arte movetur amor.
10. Inque via ſi quis tibi dixerit ore ſalutem,
  Sive tibi notus, ſive alienus erit,
Non ego reſponſum facili te reddere voce,
  Si mea juſſa putas pondus habere, velim.
Ora ſalutantis prius inſpice, & excute ſolers,
  Qua tibi ſit blandum mente locutus, Ave.
Et niſi ſit dignus reſponſo viſus, abito,
  Et tacitum gratæ claudito vocis iter.
Ipſe prior nullos etiam ſalvere jubebis,
  Taurinúmque oculis uſque tuere tuis.

11. Nam-

11. Namque vagi de te minuetur opinio vulgi,
Si te conſpicient cuilibet ore loqui:
Atque tibi ſtultæ crimen levitatis inurent,
Cum fueris nuper creditus eſſe gravis:
Inde tuo certe nimium decedet honori,
Et tua majeſtas damna dolenda feret.
12. Si tamen ulla domus ſteterit pro limine virgo,
Præ reliquis cujus forma placere queat:
Lumina mox in eam cum blando conjice riſu:
Nil refert quod non eſt bene nota tibi.
Inde adeas rectà (pudor omnis inutilis hic eſt)
Curaque ſit blando molliter ore loqui.
Omnia quæ riſum moveant narranda putato,
Nil tibi inurbanum, nil tibi turpe fuat.
Turpe nihil rerum genitrix natura creavit,
Ipſe ſibi quædam turpia fingit homo.
Tetrica ſi ſemper Stoïcorum dogmata narres,
Ridiculus dominæ non potes eſſe tuæ.
Sperne ſeverorum decreta auſtera Catonum,
Zenonis rigidi dura ſtatuta fuge.
Blanda Cynædorum magis eſt tibi congrua ſecta,
Et, Cynici molles quæ docuere, tene.
Cum bene colloquii fuerit finita voluptas,
Iamque paras cœpta rurſus abire via:
Tum tua virgineo circunda brachia collo,
Oſculaque amplexus inter amica rape.
Si negat amplexus atque oſcula blanda petenti,
Coge vel invitam reddere utrumque tibi.
Si fugiet, ſequitor, prenſamque amplectitor illam:
Diſſimulet quamvis, victa libenter erit.
Et loquitor blandum, dominamque ſubinde vocato,
Ne tuus erga illam diſſimuletur amor.
Turba tuos coràm videant luſuſque jocoſque,
Vt quam ſis poſſit cernere bellus homo.
Hunc quoque ſervabis morem, quæqunque puella
Obvia per mediam ſit tibi facta viam:
Inde tuam minui gravitatem credere ſtultum eſt,
Nec tibi qui vitio vertat id ullus erit.
Obvia ſed virgo ſi te prior ipſa ſalutet,
Vt referas grates non reor eſſe tuum.

Esse putato malam quæcunque videbit amice,
Quæque tibi blando non negat ore loqui.
13. Vita tibi quamquam simplex & rustica cordi est,
'Eque tua laudem simplicitate petis:
Sint tamen elato tua pectora turgida fastu,
Luminaque excelso tolle supercilio.
Qui nimis abjecto est animo fractoque, videtur
Ingenii dotes non bene nosse sui,
Mox & in exiguo contemptus habetur honore,
Qui poterat summum clarus habere locum.
Quantus quisque sibi est, aliis quoq; tantus habetur;
Sub pedibus, qui se non levat ipse, jacet.
Cede igitur nulli, sperne omnes, respice nullum,
Cunctaque duc animis inferiora tuis.
14. Si tibi quis magnis occurret honoribus auctus,
Quem celebret toto cognita fama polo:
Sive regat justis subjectam legibus urbem,
Et bonus imperii non leve gestet onus:
Sive rudem doceat divina oracula plebem,
Lucidaque ad cœli sidera monstret iter:
Seu vitam prudens alioqui degat honestam,
Et sit virtutis nomine clarus homo:
Ne subeat flavos animo nudare capillos,
Inque tuis maneat fixa tiara comis.
Nos sumus ex limo facti telluris eodem,
Materia est cunctis una eademque viris,
Divitibus vitæ non est prolixior usus,
Quam quos pauperies imperiosa premit.
Non magis excelsis Clotho justissima parcit,
Parcere quam spretis pauperibusque solet.
Hæc moveant aliquo ne quem digneris honore:
In simili cuncti conditione sumus.
Deque via nulli cedas quicunque sit unquam,
Imo occurrentes cedere coge tibi.
15. Cum socio lætam spatiabere forte per urbem.
Et via communis una duobus erit:
Sive sit æqualis, seu dignior esse putetur,
Tu dextrum studeas obtinuisse latus.
Si tamen immundo fuerit via lubrica cœno,
Nequaquam tibi mos iste tenendus erit.

Ingrediere viam quæ mundior esse videtur,
  In medio comitem nil nocet ire luto.
Hoc tibi quid prosit, facile cognoveris ipse,
  Si tua vel modicum mens rationis habet.
16. Forsan erit vacuas crepitus mittendus in auras,
  Qui ventrem miseris torserat ante modis:
Quandocunque libet dimitte, & ubique locorum
  Quod natura facit, non reor esse malum.
Qui male moratum te ideo contenderit, illi
  Reddere responsum tale repente potes;
Quatuor ex vento veniunt in ventre retento,
  Vertigo capitis, colica, spasmus, hydrops.
Hanc tibi doctrinam medicorum regula tradit,
  Regula civili firma tenenda viro.
Claudius edicto ructus crepitusque teneri,
  Damna valetudo ne ferat inde, vetat.
Pro te próque tuis faciunt hæc moribus, atque
  His te tutari non sine laude potes.
17. Florida cum viridis calcatis gramina campi,
  Sermone est aliquo longa terenda via,
Ergo aliquis comitum de magnis dicere rebus,
  De pacis pulchra commoditate volet:
Aut veterum antiquos mores, vitamque virorum,
  Ex aliqua doctus proferet historia:
Hoc tu propositum mox interrumpe, loquendo
  Frivola, & in media sistere voce jube.
Prisca juvent alios antiquis gesta diebus,
  Dicito, me nostri temporis acta juvant.
Vina vetusta quidem, veteresque probantur amici,
  Et vetus in prisco quæ fuit orbe fides:
Non tamen antiqua quodcunque se origine jactat,
  Omne ego crediderim protinus esse bonum.
De rebus nostris nostraque ætate loquamur,
  Quidque boni præsens cuilibet hora ferat.
Hoc dicto, lepidas sociis proponere nugas
  Incipe, quas risum posse movere putes.
Plurima de dulci conficta loquaris amica,
  Blanditias quoties dixerit illa tibi.
Verba juvant austera parum, jocularia profer,
  Sæpius & multum turpia laudis habent.

Moribus

Moribus ô juvenis discas præsentibus uti,
Si qua tibi est sociis cura placere tuis.
Deposito loquitor quævis obscœna pudore,
Parvi animi signum creditur esse pudor,
Hunc adolescentes morem plerique sequuntur,
Conventus quorum tempora nostra vident:
Ut nihil in medium dicant de rebus honestis,
Nescia sed potius verba pudoris ament.
Quod faciunt omnes, cuivis fecisse decorum est,
Et minus est fallax quæ bene trita via est.
Tu quoque consuetum sectare per omnia morem,
Et loquitor cunctis quod placuisse queat.
Vana locuturus, semper quod dicat habebit,
In nugisque loquax quilibet esse potest.
18. Si tamen in promptu nihil est quod dicere possis,
(Hoc equidem raro posse venire putem)
Suaviter irride quicquid tum dixerit alter,
Despiciens quæ sunt non bene nota tibi.

Cap. VII.

De adornatione mensæ ante cœnam, & aliis ministeriis.

SEd modo cæruleas declinat Phœbus ad undas,
Ut gelido fessos æquore mergat equos,
Sumendæque horam reor haud procul abfore cœnæ,
Utque domus repetas limina tempus erit.
Colloquium valeat, vacuæ quod detrahit alvo,
Nil facit ad rigidam concio longa famem.
1. Non tamen ut nimium properes volo: nil nisi cer-
Consilio facias, incipiasque nihil. (to
Ultra præscriptam si forte emanseris horam,
Non res illa sua commoditate caret.
Forsitan interea dum tu tua munia differs,
Cuncta domi pro te qui paret alter erit.
Alter erit mensam qui mappis instruat, & qui
Obsequium domino deferat omne tuo.
Hoc potes invisum pacto vitare laborem,
Quem semper quavis, qui sapit, arte fugit.

Si te cogatur pater expectare vel hoſpes,
 Certa tibi utilitas, & decus illud erit.
Utilitas, patrii quia ſigna videbis amoris,
 Nec dubiam cernes hoſpitis eſſe fidem.
Sed decus egregium eſt, quod ab hoſpite, ſive parente,
 Tale nihil merito tantus habetur honos.
At vel inhumanus pater eſt, vel perfidus hoſpes,
 Si dum, per campos tu ſpatiaris, edant.
2. Quando domum venies, ſi nondum menſa parata (eſt,
 Et tu ſternendi tempus adeſſe ſcies:
Injuſſus minime ſternes, quia neſcio ſimplex,
 Si facias, dici qua ratione queas.
3. Non juvet ut ſapiens videare vel aptus agendis
 Rebus, nec virtus proderit ulla tibi:
Simplicitas prodeſt, hæc te tutabitur omni
 Tempore, quantumvis feceris omne malum:
Et quia ad officium quodvis credêris ineptus,
 Nulla injungetur res facienda tibi.
Qui ſua prudenter vitare incommoda novit,
 Quidque ſibi proſit, qui videt, ille ſapit.
Sæpe ſuas qui divitias jactavit, iniquo
 Factus raptori præda pudenda fuit.
Aſt in delitiis & tuta pace quievit,
 Qui bene quas habuit diſſimulavit opes.
Interitum multis virtus jactata paravit:
 Quis vocat ignavos ad fera bella viros?
Ut foret in tuto Chironis alumnus Achilles,
 Virtutem ſumpta texerat ille colo.
Quid Laërtiades? ſimulato nonne furore
 Aſpera conatus bella cavere fuit?
Tu quoque ſi quicquam virtutis habebis & artis,
 Omnibus id ſtudeas diſſimulare modis.
Magna vel invitum tentare negotia cogent,
 Si te aliquid dominus poſſe paterve ſciet.
4. Orbibus injectis menſas onerare, vel ullo
 Pane, ſupervacuum, ni jubearis, erit.
Non reor eſſe tuum cura vigilante videre
 Singula; vel quo ſint ſcamna locata modo.
5. Nil opus eſt duram pani præcidere cruſtam,
 Quem domini menſæ ponere in orbe paras.
Omnia

Omnia damna cave: ſed circumcidere panem,
  Damna ferat domino vix reparanda tuo.
6. Quod fueris juſſus tantum, nihil amplius unquam
  Perficias: res eſt perniciofa labor.
Quem famulum domini fecit fortuna ſuperbi,
  Heu miſer, heu quantum cogitur ille pati?
Quicquid agit, ſcelus eſt, dominus niſi juſſerit ipſe,
  Mox gravis eſt culpæ pœna parata levi.
Ergo aliquis dominum ne ſtulto offenderet auſu,
  Conſilio ſapiens hoc prius uſus erat.
Sumpſit agendorum ſchedulam bene providus ante,
  Servitii domino quàm daret ille fidem.
Hanc legit acceptam memoriq; in mente recondit,
  Muneraque officii percipit inde ſui.
Nec facile obtineas opus aggrediatur ut ullum,
  Quin oculis lectam conſulat ante ſchedam.
Et quod agendarum non cernit in ordine rerum
  Expreſſum, officii non putat eſſe ſui.
Forte erat à domino flammas extinguere juſſus:
  Cœperat accenſam flamma cremare domum:
Perlegit ille ſuas lento prius ordine chartas,
  Quàm peragat domini juſſa ſevera ſui.
Hoc ſequitor multis factum memorabile cauſis,
  Et quid agas, quovis tempore certus eris.
Multa prius monui, ſumendi prandia tempus
  Cum foret: hæc iſto mente revolve loco.
Non opus eſt eadem ſæpe inculcare docendo,
  Tempora inutiliter ne precioſa teram.
Difficilis nulli noſtra eſt doctrina volenti
  Dirigere ad vitam dogmata noſtra ſuam.
Multi etiam norunt,quæ tradimus,abſque magiſtro,
  Ingenii tanta dexteritate valent.
7. Cum tuus ad menſam dominuſve paterve ſedebit,
  Et reliquam ſecum juſſerit eſſe domum:
Continuo menſæ primam citus arripe ſedem,
  Ne miſer extremo conſtituare loco.
Sæpe miniſterium quodvis cogetur obire,
  Tardus in extrema qui ſtatione ſedet.
Surge puer, reſeraque fores venientibus, audit,
  Quis veniat nobis hoſpes, & unde, vide

Et modo, fer panem, modo, fer nova fercula mensæ,
Vox erit, & pleno vina refusa cado.
Fecerit ingratum canis importunus odorem,
Protinus ille foras ejiciendus erit.
Post etiam admitti rursus mandabit eundem,
Cum vires aliqua fregerit ira mora.
Talia in extremis veniunt facienda sedenti,
Hunc alii cedas me monitore locum.
8. Sin fueris jussus mensis astare minister,
Dum reliqui carpunt quos cupiere cibos:
Signa, quod invitus facias, manifesta relinquas,
Taliaque iratus verba referre potes:
Cur ego præ reliquis tanta gravitate laborum
Obruor infelix, servitioque premor?
Quin aliis eadem facienda negotia mandas?
Quo jure immunes hi tibi semper erunt?
Scilicet ut sepem calcat, qua prona, viator,
Dum graviter duro sub pede pressa gemat:
Sic valido firmæ cui non sunt corpore vires,
Spretus humi domino sub meliore jacet.
Quoque magis cedit, mage cedere cogitur usque,
Nec datur oppressum posse levare caput.
Forsitan efficies tam grandia verba perorans,
Officium ut dominus nolit habere tuum.
Esse voluptati credet, si lætus obibis,
Teque sibi famulum semper habere volet.
9. Si vero institerit, parendum censeo tandem,
Verbera ne scapulis ingerat ille tuis.
Simplicitas stulta est omnem fugienda per artem,
Quæ male moratis verbera dura parit.
10. Vt docui supra, denuda corporis artus,
Sic opus ad quodvis aptior esse potes.
Sive cibos sola est sumptura domestica turba,
Sive aliquis vestris ædibus hospes erit:
Omnia tu solito pro more putabis agenda,
Et memor usque tuæ simplicitatis eris.
Tempore cur ullo civilior esse labores,
Quam mea te facili carmine Musa docet?
Seu fueris solus, seu multis junctus amicis,
Est eadem vitæ norma tenenda tibi.

Omnibus

Omnibus in rebus nullum discrimen habeto,
Quod decet hîc, nusquam non decuisse potest.

CAP. VIII.

De ministerio mensæ in cœna.

1. Convivas domino si præcipiente vocasti,
Esse hilares sumpto quos volet ille mero,
More tuo officium te promptus ad omne parabis
Simplicitasque tui regula moris erit.
Tum tibi quæ nuper præscripsimus omnia serva,
Verba tamen dictis addere pauca juvat.
2. Tam placide in mensa, sic diximus ante, locabis
Fercula, quæ plena jam nova lance feres:
Vt calidum partes jus disjiciatur in omnes,
Atque in eo panes ipsaque mensa fluant.
3. Nec tibi diffuso conspergere jure sedentes
Turpe puta, quamvis turpe putare queas.
Fors & erunt qui se disperso jure perungi
Sæpe, rei visa commoditate, volent.
Quippe dapes multo condivit aromate Lixa,
Gratus odor cerebro est ille, saporque gulæ.
Hinc perfusa trahet gratum quoque vestis odorem,
Qualis in apposito paulo erat ante cibo.
Res ea convivis non est ingrata futura,
Et poterunt memores inde manere tui.
Si simulant animo factum hoc se ferre benigno,
Suaviter ut risu concutiare tuum est.
Hac etiam hospitibus risum ratione movebis,
Proque tua laudem rusticitate feres.
Hoc tamen offendi si facto intelligis ullum,
Inque oculis iræ nuncia signa vides:
Est satis ut paucis purges tua crimina verbis:
Fervida dat verbis mollibus ira locum.
Sæpe quis invitus (sic sunt mortalia) peccat,
Et miser est culpæ nescius ipse suæ.
Admonitus tandem dolet, & peccasse fatetur:
Hac veniam admissi criminis arte meret.
Te quoque, crede mihi, venia dignabitur hospes,
Conspiciens te non sponte fuisse malum.

Aut potius verbis ultro insectare severis,
  Quos tua non placide crimina ferre vides.
Cur etenim stulti sibi non voluere cavere ?
  Hæc sit in illorum culpa regesta caput.
4. Inde ubi stas, vigili cœnantes lumine serva,
  Vt videas quantum quisque edat atque bibat.
Nec te dissimules hoc observare, sed omnes
  Effice convivæ quid speculere sciant.
Res ea fert secum non paucula commoda, tuque
  Vtilis hoc domino more ferêre tuo.
Afficietur enim conviva pudore, minusque
  Ac alias avido cônteret ore cibi.
5. Nulla verendarum tibi sit reverentia matrum,
  Nulla puellarum cura, nec ulla virûm
Dices & facies semper quæcunque placebunt,
  Et saltem satis est illa placere tibi.
Si culpant alii, tua te mens conscia laudet,
  Laus ea præ reliquis sufficit una tibi.
6. Si quis pauca tibi facienda negotia mandat,
  Vel rogat, & dominus non erit ille tuus :
An sibi te famulum conduxerit ille, require,
  Vel, faciat, tibi quæ præcipit, ipse, jube.
Si tamen illa tuus dominusve parensve jubebunt,
  Vix poterit verbis talibus esse locus.
Jussa quidem te facturum dic esse, sed illic
  Lentus es, & nimium ne properare velis.
Nequid dum nimium properas incautus omittas,
  Aut ne quid pecces præcipitanter agens.
Sed torvum videas, ut, quod non sponte sequaris,
  Exprimat haud dubias vultus in ore notas.
7. Forsitan & lychnum munctore videbis egentem,
  Clarius ut lumen præbeat ille suum,
Stulte, quid hunc adeo properes emungere, si non
  Id jubeat dominus terve quaterve tuus ?
Emungens tandem si forte extinxeris, euge,
  Res à te nimium gesta decenter erit.
8. Id quoque civile est ut densum ascendere fumum
  Luminis extincti semper in alta sinas.
Si tamen emungens extinguere forte vereris,
  Quod metuas domini jurgia sæva tui ;
Fumus

Fumus ut alta petat lychni nihilominus ater,
Hoc alia effectum callidus arte dabis.
Luminis ad terram subsectas abjice partes,
Fumidus ex illis surget in alta vapor.
Cur pede conculces, si non jubearis ab ullo?
Imo quid & jussus moriger esse velis?
Quin potius forfex studio linquatur aperta,
Qua tibi erat brevior facta favilla facis.
Inde per exiguam fumus petit æthera rimam,
Ille novo totam suffit odore domum.
Vix equidem credo gravidis odor ille puellis
Scilicet optatam ferre putatur opem.
Hospitibus certo gratum tu crede futurum,
Fœmineoque nihil posse nocere gregi.
At si diversum quisquam defenderit, idque
Institerit firma velle probare fide:
Propositique sui testes produxerit, acri
Ingenio quondam qui viguere viros:
(Nam fœtum gravidæ conceptum matris in alvo
Plinius ex illo dixit odore mori)
Protinus hunc magno victum clamore probabis
Turpiter à vero dissona verba loqui.
Nec pudeat coram tota confundere mensa,
Ultimaque hæc dictis addere verba tuis:
Liberius bone vir mihi pauca ignosce loquenti,
Debueras linguæ parcior esse tuæ.
Vir malus est famam qui per mendacia quærit,
Gloria laudandis non venit inde viris.
Non equidem memini recolens, quod Plinius ullo
Verba, sui oblitus, dixerat illa loco.
Unde etenim novisse queat? sed dixerit, esto:
Non tamen est dictis semper habenda fides.
Plurima lecturis auctor scripta ille reliquit,
Congrua quæ vero non satis esse liquet.
Hæc ubi protuleris, rerum credêre peritus,
Scriptaque magnorum pervolitasse virûm.
9. Evacuata alio jam repleturus Iaccho
Pocula, porrecta corripe tota manu,
Corripe tota manu, vinumque infunde repente,
Largiter ut summi plena sit ora scyphi.

Atque ideo ſummam replebis pocula ad oram,
Ne te infundendi ſæpe fatiget onus,
Sique manu tremula reddens perfuderis ullum,
Quid refert? vinum cui nocuiſſe queat?
Vel prius è cyatho profundere paucula terræ,
Non equidem magnum crimen habere putem.
10. Sin nimis impletum cratêra imponere menſæ
Non libet, & domini jurgia ſæva times:
Pauxillum immiſſo poteris prius inde labello
Sorbere, & domino tradere deinde tuo,
Vel, quod crediderim civilius eſſe, lagenæ
Reddito, menſuram quod ſuperare vides.
Si quid enim fundo calicis reſidebit in imo,
Quod credi mundum non ſatis eſſe queat:
Mox tibi totius diffuſum in vina lagenæ,
Non poterit vires jam retinere ſuas.
11. Diverſi generis, nec nata in montibus iiſdem
Pocula, convivis propoſita eſſe vides.
Non opus eſt curis angi pallentibus, ut quo
Singula ſint teneas vaſa replenda mero.
Quod propius poſitum te cernis, id arripe, & inde
Ordine poſthabito pocula quæque reple.
Quid nocet omnigenum Bacchi miſcere liquorem?
Omne merum tellus una eademque dedit.
Vinorum virtus omnis cogetur in unum,
Si bene miſcueris vina vetuſta novis.
Et ſolidam laudem virtus unita reportat,
Quæ niſi juncta foret nil valitura fuit.
Si tuus ille novus mos eſſe videbitur ulli,
Huic dare reſponſum tale paratus eris,
Num tibi Pæoniæ non eſt mos cognitus artis?
Nec quid agant medici, docta caterva, tenes?
Sollicitis raro patientibus ulla propinant
Pharmaca, quin docta ſint bene mixta manu.
Miſceri varias ſi non foret utile partes,
Non puto quod tantis mos foret ille viris.
12. Eſt eadem ratio ſervanda in potibus illis,
Quos coquit in variis Saxonis ora locis.
Optimus ad noſtras Hamburgo mittitur oras,
Qui gratus guſtu eſt, & bene corpus alit.

Inferior paulo eſt, tamen haud ſpernenda Breana,
  Hannovera ex undis potio cocta tuis.
Mumma quoque antiqui priſca Brunonis ab urbe,
  Et bonus Embeca potus ab urbe venit.
Quælibet inter ſe nullo diſcrimine miſce,
  Omnia ſunt uni debita pocla gulæ.
13. Cum tibi dat vacuum quiſquam cratera, petitque
  Repleri, tali te ratione geres.
Si quid adhuc fundo ſupereſſe videbis in imo,
  Mox epotandum noveris eſſe tibi.
14. Deque ſuo ſi quis cyatho tibi forte propinat,
  Et jubet ut ſecum paucula vina bibas:
Aut te velle neges, aut exhaurito receptum,
  Atque adeo ut maneat guttula nulla ſuper.
Inde alio reple tibi pocula tradita vino,
  Atque recens domino redde repleta ſuo.
15. Non ego te capitis jubeo nudare capillos,
  Cum bibis alterius tradita vina manu.
Vel ſatis eſt digitis ſaltem tetigiſſe duobus,
  Pilea, quæ capitis ſunt tegumenta tui.
Vel detracta manu lente, poſt terga relinque,
  Ut te jacturum qui videt eſſe putet.
16. Cumque tuo ſtabis ſtudioſe munere fungens,
  Ut repleas vacuos pocula ſicca ſcyphos:
Quam bene moratum poterunt te dicere cuncti,
  Si cadat è digitis amphora fracta tuis!
Si dominus rapidam fuerit commotus ad iram,
  Lenibus hunc verbis conciliare potes.
Iſtius ebrietas mea cauſa eſt criminis, inque,
  Peccato veniam protinus ille dabit.
17. Si quem ſtare vides vino cratêra vacantem,
  Quem conviva negat quilibet eſſe ſuum:
Forſitan hunc aliquis tam pocula multa peroſus,
  Sepoſuit, metuens ebrietate capi:
(Non decet ad menſam vacuos aſtare cululIos,
  Exhauſtis requiem nec decet eſſe ſcyphis)
Tu rape, & impletum mox cui vis cunque propina,
  Sic redit in ſeriem protinus ille ſuam.
Nec tamen occultis ſine fraudibus egeris illud,
  Nam decus eſt tectis fallere poſſe dolis.

Tu tua replebis Cereali pocula Zytho,
  Qualem in Saxonia gens celebrata coquit.
Aſt aliis Bacchum & Cerealia munera miſce:
  Plus bene commiſtis ſæpe valoris ineſt.
Sic potes incautis imponere, ut ebria fiant
  Turba, ſed interea ſobrius ipſe manes.
18. Vel ſi convivas non eſt tibi fallere cordi,
  Ebibe cum ſumma pocula cuncta fide.
Hac prior evades reliquis arte ebrius, & ſic
  Hoſpitibus melius ridiculo eſſe potes.
Exemploque tuo cunctos hortaberis, ultro
  Vina ut certatim largius ipſa bibant.
Mox etenim lætum te ridiculumque videntes,
  Eſſe etiam læti ridiculique volent.

CAP. IX.

Quomodo à cœna convivis miniſtranda pocula, & quibus iidem technis abigendi.

1. FIdus in officio ne non videare miniſter,
  Sedulus, ut potent fortiter, auctor eris.
Nec prius ire domum quenquam patiare vocatum,
  Quam multa titubent ebrietate pedes.
Et dominus quamvis tuus haud vetet ire volentes,
  Tu tamen id fieri quam potes uſque veta.
2. Pocula nec cuiquam volo te replere petenti,
  Quin penitus videas evacuata mero.
Ebibe fac verſum, dicas, vina addere vinis
  Stultus ego officii non reor eſſe mei.
Cur ego diſſimulem, quod tu tibi parcere tentas?
  An me juſtitiæ non meminiſſe putas?
Iuſtius egregiis vini potoribus ullum
  Haud hominum in terris arbitror eſſe genus.
Hanc ego juſtitiam quoque conſervare laboro,
  Nec vetus in rapidos fama eat illa notos.
Hoſpitibus cunctis me convenit eſſe fidelem,
  Quo bene commiſſum munus obire queam.
Sic loquere, & quamvis precibus te mille rogarit,
  Non tamen infundes ni prius ebiberit.

Semper & id vigili faciendum ducito cura,
  Forſan & hîc aliquid quod tibi proſit erit.
Nam conviva domum quando bene potus abibit,
  Lumina jucundi plena ſoporis habens,
Tu quoque temperius poteris tua corpora ſomno
  Reddere, qui nimium mane relictus erat.
Attenuant juvenum vigilatæ corpora noctes,
  Naſo, gravis blandi doctor amoris, ait.
At requies laſſos nocturna laboribus artus
  Recreat, & dulci membra ſopore levat.
Hanc ergo ad metam toto contendito curſu,
  Convivas potos ut removere queas.
3. Incidit hic vigili quod erit tibi mente notandum,
  Et bona pars veræ ſimplicitatis erit.
Bina ſedere vides convivia in ædibus iiſdem,
  Nec ſimiles vitæ conditione viros?
Forſitan hîc ſtupidi potat fæx infima vulgi,
  Vulgi, quod tantum commoda ventris amat.
Aſt illic hominum non magna caterva bonorum
  Conſidet, & luſu tempora longa terit.
Et tibi conceſſa eſt vinorum plena poteſtas,
  Totaque cum clave eſt credita cella tibi.
Optima contemptæ reſerabis dolia turbæ,
  Vina bonis promens deteriora viris.
Nec levis eſt ratio, cur non depromere quiſquam
  Debeat eximiis fortia vina viris.
Egregios homines, qui magna negotia tractant,
  Quoſque vagum merito vulgus honore colit;
Non decet inſana nimis ebrietate gravari,
  Ne poti, quod non conveniebat, agant.
Ebrietas victos ſibi ſubjicit improba ſenſus,
  Seque velut dominam mentis in arce locat.
Et vitium tanto ſceleratius eſſe putatur,
  Quanto qui peccat major habetur homo.
Ne videare igitur tam magni criminis autor,
  Quæ bona ſunt illis tradere vina cave.
Quid? quod & in longum ſtudio producere tempus
  Colloquii longi mutua verba ſolent.
Interea vino videas moderatius uti,
  Colloquiumque illis dulcius eſſe mero.

Sic etiam in multam traherent convivia noctem,
Immemores propriæ tecta ſubire domus,
Non potes huic alia morbo ratione mederi,
(Difficili triſtis cura adhibenda malo eſt)
Pocula quam cautus ſi quæ ſunt vilia promas,
Quæque putes nullo poſſe placere modo,
Non equidem longo manſuros tempore credam,
Nequitia offenſos, prome maligne, tua,
Nam neque pro vili nummos exponere vappa,
Nec ſtomachum ingrato lædere acore volent.
Quiſque ſuas igitur ſapiens properabit ad ædes,
Ut ſua jam dulci membra ſopore levet.
Vivit adhuc fama Xantippe Socratis uxor:
Quam meruit famam moribus illa ſuis!
Fortè domum paucos convivas ille vocârat,
Artibus eximios ingenioque viros.
Colloquium gravibus doctum de rebus habebant,
Tingentes variis ſeria dicta jocis,
Cumque diu tererent nocturnis tempora nugis,
Res ea Xantippæ non ita grata fuit.
Colloquio tandem quò finem imponeret iſti,
Conſilium cerebri protulit omne ſui.
Jurgia convivis, convitia multa marito
Fecit, & in rixas lingua diſerta fuit.
Sed ſua contemni cum jurgia ſeque videret,
Omnia tentandum credidit eſſe ſibi.
Et veniens, ſolita menſam ſubvertit in ira,
Convivaſque ſuos juſſit abire domum.
Hoc ego te facinus quoque jam tentare juberem,
Si nimis hos videas velle ſedere diu.
Sed reor illorum te majeſtate moveri,
Atque minus facinus tale placere tibi.
Ergo potes vino melius removere maligno,
Ut cupiant ultro quiſque redire domum.
4. Profuerit forſan quoque ſæpe monere morantes,
Quem teneant cœli frigida plauſtra locum,
Et quota jam noctis properans exiverit hora,
Unde ſibi ſomni tempus adeſſe ſciant.
5. Nec pudeat vana ceſſantes fallere lingua,
Colloquia & ſtructis rumpere longa dolis.

Vix ſemel ediderit cantum criſtata volucris,
Principium feræ noctis adeſſe notans:
Tu tamen, à medio nocturna recedere cœlo
Sidera, & occiduas tendere, finge, ad aquas.
6 Aut potius clarè, quid enim malus eſſe vereris?
Dic, repetant lecti limina quiſque ſui.
Ne tibi vel domino jam pergant eſſe moleſti,
Indultum levibus plus ſatis eſſe jocis.
7. Ruſtica vel ratio ſi non placet iſta fugandi,
Quos virtute graves conſpicis eſſe viros:
Quantumcunque volent, ſpatium concede ſedendi,
Ut quod agendum illis cunque videtur agant:
Sed procul inde abiens ſapientem deſere cœtum:
Aptior ingenio eſt ſtulta caterva tuo.
Hìc audire jocos & delectantia verba,
Quodque bibas avido gutture, ferre potes.
Interea ſoli ſedeant famuloque carentes
In tenebris tetrici, turba odioſa, ſenes.
Vinaque non illis ſitientibus ulla propines,
Hinc videant curæ ſe minus eſſe tibi.
Quid facient, adeo ſe ſpretos eſſe videntes?
Quiſque volet tugurî tecta ſubire ſui.
8. At reliquos melius tractare intende bibones,
Qui minimum rectæ mentis habere ſtudent.
Immunes etenim cum ſint à rebus agendis,
Cur ſtudeant avidam fræno inhibere gulam?
Parva viris etiam ſapientia ſufficit illis,
Exiguumque boni cordis habere ſat eſt.
Impliciti magnis nullo ſunt tempore rebus,
Curaſque ex animo depoſuere ſuo.
Non ſunt ſolliciti de prole & conjuge alendis,
Nec magnas animus quærere fervet opes.
Conſilium ſaltem referunt huc pectoris omne,
Ut ſemper lætis mentibus eſſe queant.
Ut bona vina bibant, ut Bacchanalia vivant,
Ut vario luſu tempora cuncta terant,
His bona vina viris, his præſtantiſſima profer,
Sint licet in multis illa repôſta ſeris.
Aſſidua ebrietas tales delectat, & illis
Quantumvis fortis potio nulla nocet.

Hunc

Hunc hominum ut possis rabidorum augere furorem
 Ingenii profer consilium omne tui.
Et calcar nimium per se currentibus adde,
 Quaqua abeunt ultro, currere coge, via.
Largius ut potent, sapidissima vina propina,
 Quæ vetera & multi roboris esse scies.
Temperius potu victi cogentur abire, &
 Temperius somno corpora plena dabunt.

CAP. X.

De convivarum à cœna confabulationibus, altercationibus, & rixis.

CUm bene erunt poti, variis de rebus habebunt
 Colloquia, & pro se quisque disertus erit.
Tunc nova gestarum poteris miracula rerum
 Percipere, & cunctis gesta probanda modis.
1. Hic referet qualis fuerit puerilibus annis,
 Quam fuerit lusus promptus ad omne genus.
Qualis in exultans equitarit arundine longa,
 Qualiaque in ficto bella pararit equo.
2. Ille suos quondam juvenis narrabit amores,
 Quæ dederit blando verba puella sono:
Successus referet rerum casusque suarum,
 Quam fuerit felix, quamque in amore potens.
Sæpius ex imo suspiria pectore ducet,
 Cum memor istius prosperitatis erit.
Dulcia præteritæ reminiscens tempora vitæ,
 O gemitus quales corde dolente dabit!
3. Contra alius fuerit sua qui mala plurima narret,
 Quæ quondam insano cæcus amore tulit.
Qualiter in media tulerit fera frigora flamma,
 Qualiter & pluvias vicerit atque nives.
Quod voti nullo sit factus tempore compos,
 Et nihil impensas, nil valuisse preces.
4. Non deerit charam qui laudibus ornet amicam,
 Et vaga per cœli sidera voce ferat.
Ille puellares auro certare capillos
 Dicet, & auricomi vincere fila croci.

Non ſecus ac ſtellas oculos rutilare coruſcos,
 Idaliæ quales credimus eſſe deæ.
Os bene compoſitum, malas faciemque rotundam,
 Dulciaque à roſeis oſcula rapta labris.
Candori mixtum teſtabitur eſſe ruborem,
 Ceu ſint purpureis lilia mixta roſis.
Et teretes referet digitos, tereteſque papillas,
 Cruraque Sithonia candidiora nive.
5. Aſt alii hinc aliud pro tempore quiſq; loquentur,
 Quiſque ſtatus dicet pro ratione ſui.
Prælia narrabit Mavortius horrida miles,
 Venator celeres laudat amatque canes.
Commemorat pingues qui gaudet frugibus agros:
 Lanigero opilio de grege multus erit.
Navita de ventis, de fluctibus æquoris, illis
 Qui non viderunt æquora, multa refert.
Quiſque ſuis de rebus habet quæ plurima dicat,
 Quæ nova grata tuis auribus eſſe queant.
6. Crimina tranſactæ multi recitare juventæ,
 Et ſibi ab his laudem quærere ſæpe ſolent.
Sæpe ego nequitiam vitæ jactare prioris
 Audivi emeritos, nec puduiſſe, ſenes.
Illa bonos doceant exempla ſenilia mores,
 Et puer à ſenibus diſcere multa poteſt.
7. Tu patulas adhibe tantum dicentibus aures,
 Singulaque attento pectore verba nota.
Tum ſi te quiſquam conviva vocaverit ad ſe
 Forte, quod officiis indiget ille tuis:
Exhauſta ut repleas infuſo pocula Baccho,
 Vel facias aliud quod tibi mandat opus:
Diſſimula vocem te percepiſſe vocantis,
 Ingratoque aures obſtrue utraſque ſono.
Hoc quoque Sirenum cantus fugiturus Ulyſſes
 Fecit, & evaſit perfida tela necis.
Illevit cera ſociorum callidus aures,
 Carmina ne poſſent per ſcelerata capi.
Sic tu, ne quò non libuit cogaris abire,
 Dulceque colloquium linquere, ſurdus eris.
8. At ſi non poteris ſalvo differre pudore
 Amplius, & crebris vocibus ille vocat,

Et

Et tibi adhuc cordi eſt nugas audire loquentûm,
Hac reor id facile eſt obtinuiſſe via.
Tempus ut expectet modicum conviva preceris,
Difficilis precibus non erit ille tuis.
Mox te venturum tamen affirmare memento,
Quando habeat finem fabula cœpta ſuum.
Non adeo importunus erit, quin pauca roganti
Concedi ſaltem tempora poſſe putet.
9. Cum gravis ebrietas cerebri penetralia ſacra
Irrumpens, ſumma fixerit arce pedem,
Cumque triumpharit jam de ratione fugata,
Menſque erit è ſolio præcipitata ſuo:
Grandia de magnis ſurgent certamina rebus,
Diſſeret & variis lingua diſerta modis.
Aſſeret hic, animas poſt triſtia vivere fata,
Nec cum terrigeno corpore poſſe mori,
Sed mutare locum, & nova corpora rurſus inire,
Atque hominis fieri quæ fuit antè feræ.
At res hæc aliis abſurda videbitur eſſe:
Dogmata non cunctis Pythagorea placent.
Invenias, qui totam animam cum corpore credant
Concidere, ut rapido cum perit igne calor.
Hîc quoque qui contrà pugnent reperire licebit,
Quique negent iſtam vituperentque fidem.
10 Deque alio multi referent miracula mundo,
Qui procul à noſtri ſit ſitus axe poli.
Hîc homines dicent cum dentibus ora canina
Pandere, & humana pellere carne famem.
Diverſum ſtatuent alii, nec poſſe putabunt
Naturam rerum talia monſtra pati.
Quiſque ſuis pro viribus adferet argumenta,
Quique velit victus cedere, nullus erit.
11. Concipiunt multi vanas pro regibus iras,
Et gravibus verbis prælia magna gerunt.
Hoſque Duces cœlo ſupremis laudibus æquant,
Ætheriæque domos hos ſuper aſtra levant.
Ad Stygias illos detrudunt uſque paludes,
Uſque adeo lingua vituperante premunt.
Hos alii contra contraria ſenſa tenebunt,
Deque ſuo nolent cedere propoſito.

Hi quoque culpabunt quos laudavere priores,
Quosque solent illi vituperare, colent.
12. Nonnulli facient discrimina longa dierum,
His erit hic ater, candidus alter erit.
Sed contra invenias, ea qui discrimina tollant,
Inque pari ponant conditione dies.
13. Quilibet adducet quæ se novisse putabit,
Notitiamque horum solus habere volet.
Non feret hoc alter, sed & ipse peritus haberi
Multarum rerum consiliique volet.
Hinc, quascunque theses dabit ipsa occasio præsens,
Arripient, & lis luctaque grandis erit.
14. Forsan & a verbis venietur ad arma cruenta,
Proque argumentis ensis acutus erit.
Hîc vetus haudquaquam Dialectica sufficit, illa
Non docuit tali dicta probare modo.
Surgat Aristoteles aliquis, Logicamque recudat,
Monstret ut ex quo sit ducta machæra loco.
15. Tu parti alterutri succurrere fortiter insta,
Consensuque tuo prælia cœpta juva,
In medium audacter prodi, positoque timore
Deprome arbitrii libera sensa tui.
Vince tuo strepitu cunctos, clamoreque vince,
Stentoreumque imo pectore rumpe sonum.
16. Fortis es, & claris, MENTIRIS, dicito verbis,
Verba loqui si quem non ita firma putas.
Cuncti obmutescent, intentique ora tenebunt
Protinus ad vocis fulmina tanta tuæ.
Et simul ingenium fœlix, animíque vigorem
Mirati tacita laude per astra ferent.
Hinc tu nobilis es magnoque in honore futurus,
Multisque ingenii nomine charus eris.
Quem tamen argueras mendacia vana loquutum,
Illius insidias me monitore cave.
Namque solent aliqui faciei impingere pugnum,
Si tibi mentitos esse probare velis.

Cap.

CAP. XI.

Quomodo peracta cœna convivæ dimittendi, Quid agendum antequam cubitum eas : & Epilogus libri.

1. SI nimis extendent in multam ludicra noctem
  Prælia, res non eſt illa ferenda tibi.
Fraudibus inſtructum multis decet eſſe doliſque,
  Conſultum rebus qui volet eſſe ſuis.
Nil tibi totius proſunt convivia noctis,
  Impediunt ſomnum turpiter illa tuum.
Ergo opus ingenio eſt, tecta quò callidus arte
  Quemque ſuæ jubeas limen adire domus.
Ante, quibus poſſis ſapiens rationibus uti,
  Diximus : hîc illas quid renovare vetet?
2. Fors aliquis quota ſit conviva rogaverit hora,
  Tu percontanti dicere vera cave.
Vix decimam cantu criſtatus prodidit ales,
  Tu dic bis ſextam jam ſonuiſſe diu.
Sæpius hoc etiam facies cum nemo rogarit,
  Commoda quo ſomni tempora ſcire queant.
3. Si nihil horarum curſu noctiſque moventur,
  Nec tua te quicquam verba doloſa juvant :
Tunc non immerito manifeſta dicere voce,
  Ut tandem redeant ad ſua quiſque, potes.
Et licet à domino non ſis hoc dicere juſſus,
  Ingratum domino non tamen eſſe putem,
Diceret ipſe eadem, ſalvo ſi poſſet honore:
  Turpe quod eſt illi, te decuiſſe poteſt.
4. Quam primum incipient abituri ſurgere poti,
  Ne mora ſit, clauſas pande repente fores.
Pande fores, monſtraque viam ſurgentibus ultro,
  Atque hac ad veſtros eſt iter, inque, lares.
5. Cumque tuo domino convivæ, ſive parenti,
  Iam blæſum dicent accipientque Vale;
Tu pete conſueti penetralia chara cubilis,
  Et recrea dulci membra ſopore tua.
Ipſe tuus dominus (per te licet) oſtia claudat,
  Occluſas ædes ſi volet eſſe ſuas.

Ipſeque

Ipſeque candelas extinguat, ſopiat ignes,
Poſtremus cubitum (ſic Cato mandat) eat.
6. Vel tu candelam (conſultius arbitror illud)
Dormitum quando cœperis ire, cape.
Ne miſer in tenebris offendas crura pedeſve.
Improba nox ſecum multa pericla trahit.
Per tenebras melius denſas herus ire valebit;
Ædis notitiam totius ille tenet.
7. Solus in obſcuris ſua veſtimenta tenebris
Exuat, officio non eget ille tuo.
Tu face nocturnam tibi ne res ulla quietem
Impediat, rapidis paſſibus hora fugit.
Si ſapis ergo tuis in tempore proſpice rebus,
Deque alio nunquam cura ſit ulla tibi.
Et licet hi mores minus eſſe putentur honeſti,
His tamen utilitas moribus ampla ſubeſt.
8. Tollere de menſa cyathos & pocula differ,
Mane eadem melius tollere tempus erit.
Omnia ſi tollas, & protinus omnia purges,
Utilitas quæſo quæ venit inde tibi?
Signa relinquantur manifeſta videntibus, illo
Sympoſium minime triſte fuiſſe loco.
Gaudia ſic animis ſpectantum heſterna recurrent;
Lætitiæ memorem, quæ fuit, eſſe juvat.
9. Imo aliud dicam, tu rectis auribus aſta,
Sis memor ut vites omne laboris onus.
Mane vel ad mediam volo te requieſcere lucem,
Ne minuat cerebrum nox vigilata tuum.
Tunc quoque de blando nolim te ſurgere lecto,
Quin pater aut dominus terque quaterque vocent.
Interea famulæ collecta poteria tollent,
Inque ſuum referent pocula quæque locum.
Quæque tibi fuerant peragenda negotia, pro te
Efficient, & tu poſtea liber eris.
10. Cum bene dormieris, vinumque eviceris omne,
Surgito, ſed medium Sole tenente diem.
Tradidimus ſupra præcepta ſalubria, ſurgens
Qualibus ornatus moribus eſſe queas.
Omnia tu ſemper ſerves, & ubique memento,
Singula ne ſit opus dicta novare mihi.

11. Sunt

11. Sunt etiam vino qui delectentur adusto,
Hac sibi restitui se ratione putant.
Hoc & tu facies, nisi mos tibi displicet iste,
Nam mala sunt aliis ejicienda malis.
12. Multa docendus eras, simplex ut in omnibus esses,
Sed propero, & rebus vincor ab ipse meis.
Ipse tuo ingenio quantum potes utere, & ista
Dicta potes factis exuperare tuis.
Paucula percurro saltem, ne longius ipsa
Iliade, urgenti singula, surgat opus.
Paucula sufficient, ipso quia doctus ab usu
Ipse potes monitis addere multa meis,
Singula coner enim libro comprendere in uno,
Vix istum caperet maxima terra librum.
Opprimerer tanto miser ipse labore, meique
Ingenii vires exuperaret onus.
Imperium siquidem stolidorum nulla coercet
Meta, & ineptorum regia fine caret.
Aspicias oculis totum vigilantibus orbem,
Quodque hominum toto vivit in orbe genus.
Invenies semper mores & ubique pudendos,
Hei mihi barbaries non habet illa modum.
Non pudet effœtam committere facta senectam
Turpia, nec canos dedecorare suos.
Illa nimis docili nocitura exempla juventæ
Præbet, & ad vitium prævia monstrat iter.
Et juvenes (ævi tanta est petulantia nostri)
Vivere laudandum turpiter esse putant.
Quis pueros meliora sequi, vitamque priorem
Deserere, & mores excoluisse docet?
Non vir, non mulier, meminisse videntur honoris,
Omnia deposito quisque pudore facit.
Virginibus quondam laudi pudibunda dabantur
Lumina, virtuti cum suus esset honos.
Nec nisi pauca loqui casto sermone solebant,
Indicium casti pectoris illud erat.
Nunc decus est oculos temere quocunque vagari
Virginis, & rectas non tenuisse vias.
Nunc decus est, verbis illas petulantibus uti:
Rusticaque est, blando quæ nequit ore loqui.
Quid

Quid memorem magnos homines, rerumq; potitos,
Imperium in reliquum qui rude vulgus habent?
Obliti decoris ſine more loquuntur aguntque,
Quæ præceps animi cunque libido jubet.
Quique graves regni manibus moderantur habenas,
Quæ prohibere aliis cuncta decebat, agunt.
Ingredere inflatas monſtroſis faſtibus aulas,
Atque ducum celſas, atria longa, domos,
Protinus occurrent in primo limine multi,
Quos nihil humanæ mentis habere putes.
Ebrietas illic & turpis vita ferarum
Viſitur, imperium crapula fœda tenet.
Non alibi pejus maleſuada ſuperbia regnat,
Quæ mores hominum non ſinit eſſe bonos.
Talia ſubjectum ſequitur veſtigia vulgus,
Ut docilis quævis ad mala turba ſumus.
Plura queri morum de ruſticitate volebam,
Dicta ſed hæc iſto ſufficit eſſe loco.
Ruſtica nam verbis me turba rogantibus urget,
Perficere incœptum quod mihi reſtat opus.

Finis Libri Primi.

LIB.

LIBER SECUNDUS.

CAPUT I.

Quomodo se gerere debeat ab alio invitatus, quibus moribus convivium accedat, & mensæ accumbat.



HActenus edocui qua simplicitate vocatos
Abs te convivas exhilarare queas:
Sed tanquam famulum, cui non est plena potestas,
Et qui sub domini cogitur esse manu.
Qua ratione tuo invitatos nomine tractes,
Alter hic extremo fine libellus habet.
Iam, si forte alio fueris conviva vocatus,
Discito queis illic moribus esse queas.
1. Principio ex puero quæres non pauca vocante,
Quos vocet, & quæ sit causa quod ille vocet.
Cur alium dominus non miserit ipse ministrum,
Unde tibi major surgere possit honos.
Denique quas carnes, quos pisces emerit hospes,
Et quanto dandos emerit ære cibos.
Quas epulas coquus, & quæ condimenta pararit,
Quove queas avidam pellere pane famem.
Qualia sit promus venienti vina daturus,
Quę conviva domum pemmata quisque ferat.
An quoque ducendę post fercula sumpta choreæ,
Ecqua sit ad tales virgo vocata dapes.
2. Symposii tandem socios epulasque paratas
Si spes est animo posse placere tuo:
Tempore venturum justo promittito sancte,
Sic ubi jam fuerint singula nota tibi.
3. Si tamen observas convivia ad illa vocandos
Esse aliquos, odium qui meruere tuum:
Non ego te jubeo temere promittere quicquam,
Conveniens hominum non genus omne tibi est,
Non sedeas rigidos inter conviva Catones,
Qui graviter tantum verba severa crepant.

Ergo

Ergo alios manda vocet ad convivia, qui ſint
  Moribus & vitæ congrua turba tuæ.
Fercula præcipies etiam meliora parari,
  Si minus illa tuæ ſint placitura gulæ.
4. Cuncta ſed ut poſſis melius retinere fideli
  Mente, culinari quæ parat arte coquus;
Poſce paratorum comedendorumque libellum,
  Qui moneat quales det tibi lixa cibos:
Hinc præſcire potes, quid edas, quid ſtare relinquas;
  Cui vino ſerves queis epuliſque locum.
5. Prolatum è pera ſchedulam quoque ſæpe revolves,
  Quæque dedit releges fercula, quæque dabit.
Tum ſi quid coctum tu legeris eſſe, nec illud
  Allatum menſæ videris eſſe tuæ:
(Forſitan hoc aliis hoſpes vel lixa reſervat,
  Tempore quos parvo velle venire ſciat)
Protinus accendi non eſt tibi dedecus ira,
  Nec volo te bilem diſſimulare tuam.
Non impune tibi fallax illuſerit hoſpes,
  Ut vacuo expectans ſederis ore diu.
Semper enim ventura tibi meliora putabas
  Fercula, ſed falſum turpiter eſſe vides.
Quid dubitas clara ferri tibi, voce jubere,
  Inſcriptum ſchedulæ quod legis eſſe tuæ?
Illa etenim toti facta eſt injuria menſæ,
  Nec tibi jam ſoli fraus ea ſtructa fuit.
Pro reliquis etiam, licet id non juſſerit ullus,
  Te refer hoſpitibus talia verba loqui.
Sic prius inſtructus tandem convivia adibis,
  Expectata diu cum brevis hora vocat.
6. Mox ubi non procul eſt ad cœnam tempus eundi,
  In te non aliquam convenit eſſe moram.
Neglige vicinum, qui eſt invitatus eôdem,
  Quippe viam ſolus tu reperire potes.
Neglige cuncta domi, & properatis greſſibus ito,
  Neu ſis poſtremus, primus adeſſe velis.
7. Quam primum irrueris alienas hoſpes in ædes,
  Neglige de fauſta multa ſalute loqui.
Sed pete fumantem pede non tardante culinam,
  Quæque coquant illic fercula lauta vide.

Nec mora, quæ cupidis minuantur dentibus, eſcas
Poſce dari ; res eſt imperioſa fames.
Moxque repleta mero ſpumanti pocula poſce,
Sic falle ingratæ tædia longa moræ.
Ut quando venient reliqui, ſis potus abunde,
Et facias lepido plurima verba joco.
Sic hilarem cuncti te dicent eſſe: meretur
Ebrietas noſtro tempore laude vehi.
8. Cum fueris ſolus, nec adhuc venêre ſodales,
Quid facias, monitus accipe mente meos.
Incipe Stentorea mox carmen amabile voce,
Deque boni vini laudibus illud erit.
Vox ea per totam ſonet exaudita plateam,
Hæc faciet ſocios mox ut habere queas.
Namque ubi clamores arrectis auribus illos
Accipient, cœnæ tempus adeſſe ſcient.
Protinus accurrent, rebuſque domoque relictis,
Et lætis tecum mentibus eſſe volent.
9. Vel tibi ſi non eſt cordi properare vocato,
Ultimus extremo viſque venire loco:
Uſque maneto domi, donec te nuncius alter
Oret, & ad cœnam lœtus adeſſe velis.
Tunc dic venturum, ſed longo tempore differ,
Nec tandem niſi ſis ſæpe rogatus eas.
Tota domus cœnam propter te differat unum;
Gloria nequaquam eſt hæc fugienda tibi.
Magnarum credent tibi magna negotia rerum
Eſſe data à magnis perficienda viris.
10. At ſi crediderint oneratum rebus agendis,
Teque ideo nullo poſſe venire modo:
Et coquus in patinam lautas jam miſerit eſcas,
Quas volet hoſpitibus fercula grata dari:
Forſan & in menſa famulus jam cuncta locarit,
Incipiantque ipſas tangere quiſque dapes:
Tuque vides veniens eſcas modò carpere cunctos,
Seſſuroque tibi vix supereſſe locum:
Objurgandus erit tibi verbis acribus hoſpes,
Se ſciat ut magnum poſthabuiſſe virum.
Sentiat ille tuam cunctis præſentibus iram:
Non ignominia eſt tanta ferenda tibi.

Talibus

Talibus ecquid eram venerandus honoribus? inque.
Ecquid erat ratio talis habenda mei?
Sed ſine me (quid enim mihi profuit eſſe vocatum?)
Vivite, non vobis jam gravis hoſpes ero.
Iſta loquens geſtum tibi ſume volentis abire,
Teque tuam ſimula velle redire domum.
Protinus occurret blandis ſermonibus hoſpes,
Et ſupplex partes ille precantis aget.
11. Tunc ubi blandiloquo te multa rogaverit ore,
Placatus tandem diſcubiturus eas.
Tum reliqui aſſurgent venienti forſitan omnes,
Ut tibi cum magno detur honore locus.
Tu primam quaſi ſis digniſſimus arripe ſedem,
Quam tibi non digno nemo daturus erat.
12. At ſi non cernis venienti aſſurgere quenquam,
Seſſuroque tibi nullus habetur honos;
Tuque aliquem ſupereſſe locum conſpexeris ipſe:
(Servatur magno forſitan ille viro)
Hunc tibi, ne ſedeas extremo fine, capeſſe.
Qui prior advenit, dignior ille fuit.
Serius adveniens malè conſidet, aut malè cœnat,
Dicitur: id vero verius eſſe puta.
13. Per menſam pedibus ſcandens ſubtiliter ito,
Si tibi per ſcamnum cedere nemo volet.
Commaculare luto menſam, mappamve, quadraſve,
Nil nocet, & culpa res caret illa tua.
Frange vitra & calices, vino perfundito menſas,
Et cadat è proprio verſa patella loco.
Vel pedibus veſtes macula per ſcamna ſedentum,
Id fieri ſummo jure videtur opus.
Cur etenim tibi nolebant hanc cedere ſedem
Tum vacuam, & qua vix dignior alter erat?
Ergo quod hoc menſam pacto maculâris & ipſos,
Hæc ſit in illorum culpa relata caput.
14. Ante lavare manus quàm ſacræ accumbere men-
Neſcio quo multos more ſolere vides. (ſæ,
Frigida nil homini prodeſt è fontibus unda,
Sed cur non proſit cauſa ferenda mihi eſt.
Sæva reluctantur ferventi frigora cordi:
Principium vivi corda caloris habent.

Inque manus veniunt occulti ex corde meatus,
Per totum sparsi qui tibi corpus eunt.
Stultus in algentem digitos si miseris undam,
Tum manus in gelida frigida fiet aqua:
Inde retrò curret paulatim in pectora frigus,
Ah nimium cordi frigora dura nocent!
Frigora nativos extinguunt sæva calores,
Hoc homines multi jam periere modo.
Tam subeunda tibi sunt magna pericula vitæ,
Frigus & à manibus cordis ad ima redit.
Hinc ubi jam multos in aqua te laveris annos,
Adveniet propero tarda senecta pede.
Illa tuos quando victrix invaserit artus,
Deficient vitæ stamina rupta tuæ.
Has causas illi qui te mirabitur adfer,
Quod non pro solito more lavare velis.
15. Sin vero adfueris præscripto tempore cœnæ,
Convivasque alios velle lavare vides:
Primus in appositas reliquis cunctantibus undas
Irrue, fœdatas primus inunge manus.
Quisquis ibi fuerit majori dignus honore,
Quid noceat post te quod lavet ille manus?
Scilicet ipse etiam convivia ad illa vocatus,
Et domino acceptus scilicet hospes eras.
16. Nec solum digitos, sed & os faciemque lavabis,
Nec tibi erit longas nectere turpe moras.
Cumque satis longo lavisti tempore, & ipsam
Conspicis immundam sufficienter aquam:
Tunc aliis cedas, ut & ipsi utantur eadem,
Totaque cum manibus si libet ora lavent.
Tuque tibi interea de prima prospice sede,
Hinc te qui jubeat surgere nullus erit.
17. Et qualis jaceat positus circumspice panis,
Hic illo melior sæpius esse solet.
Est qui vel sacram superet nigredine terram;
Vestphalici talem vidimus esse soli.
Est alius diversus ab hoc nitidissimus; illum
Sithonias credam vincere posse nives.
Hinc tibi dum reliqui cunctantur prospice cautus,
Ne sit opus nigro pane fugare famem.

Surripias furtim tibi qui bonus esse videtur,
Surreptumque tuo callidus abde sinu.
Postea cum fuerit partes distractus in omnes
Panis, frumenti qui melioris erat;
Cogentur reliqui vilem quoque sumere panem,
Si nondum fuerit dura levata fames.
Tum tibi, non aliis poteris producere rursus,
In gremio furtim quem prius abdideras.
Viderit hoc aliquis factum laudabile, certe
Ille tuis censor moribus æquus erit.
Consilium prudens simul admirabitur, & te
Pectore non modicum dicet habere salis.
Et fortasse tuam quandoque imitabitur artem,
Factus ab exemplo doctior ille tuo.

Cap. II.

Quos in edendo mores & gestus observare conviva debeat.

1. Fercula quàmprimùm mensæ imponentur opima,
Tu rapidam patina primus inunge manum.
Quod tibi cunque placet, rapias; ita diximus ante;
Cur aliquid frustra me docuisse sinas?
Omnia dicta tibi, quæ diximus antè, putato,
Nil moveat quo sint singula dicta loco.
2 Et quascunque dapes in mensam miserit hospes,
Quantumvis gustus judicet esse bonos:
Invenias aliquid quod culpes semper in illis,
Quodque velis verbis vituperare tuis.
Hoc nimis est salsum, dices, nimis, illud adustum,
Hoc tibi acetosum, dulce sed illud erit.
Idque palàm jubeo clara te dicere voce,
Percipere ut facili quilibet aure queat.
Sic etenim falso confundes ora pudore,
Sollicití frustra per tua verba coqui.
Hac potes urbani nomen ratione mereri,
Nomen id, ô felix, quisquis habere potest!
3. Quando tacent epulis intenti suavibus omnes,
Non hominis tota vox sonat ulla domo:

Plurima te lingua jubeo garrire loquaci,
  Illaque quæ risum promereantur erunt.
Non decet ad mensam mutis residere labellis,
  Omnibus in precio qui volet esse, virum.
4. Inde vora semper, quantæ sunt corpore vires.
  Hoc ad symposium sine vocatus eras.
Ingere multa vorax avidis sine more modoque
  Faucibus, & largo viscera tende cibo.
5. Si calet esca nimis quam dextera misit in ora,
  Dissimula quantum dissimulare potes.
Et lapidi permitte alios impingere eidem,
  Ne solus damnum ludibriumque feras.
6. Extrahere urentem rursus de faucibus escam,
  Et patinæ extractam reddere fortè queas.
Non tamen hîc ausim facinus te tale docere:
  Ah pudet, ah nimium rusticitatis habet.
7. At tibi ne sit opus rursus comburere linguam,
  Id fugies tali callidus arte malum.
Ore tuo calidas afflabis fortiter escas:
  Spiritus ardorem temperat ille cibi.
Nullius est usus nimis insufflare modestè:
  Quas etenim vires lenior aura ferat?
Flaturus totas vento distendito buccas,
  Difficilis quasi sit buccina flanda tibi.
Hinc, velut Æolius mittit sua flamina carcer,
  Collecta in calidos flamina mitte cibos.
Magno cum sonitu prorumpant fortiter auræ,
  Non secus ac flammas Sicelis Ætna vomit.
8. O mihi quàm placeas, si convertaris ad illum
  Qui tibi vicinus contiguusque sedet!
Illius in vultum volo te spirare calorem,
  Et calido totas spargere jure genas.
Protinus applaudent alii, factumque probabunt,
  Atque jocum talem sæpe videre volent.
9. Quòd comitatur herum, non fit sine laude catellus,
  Delicium domini qui solet esse sui.
Tu quoque vicinas conviva vocatus ad ædes,
  Usque canem, dominum qui comitetur, habe.
Proximus ille tibi scamno considat eodem,
  Illi etiam è patinis optima quæque dato.

Quis

Quis conviva illum detrudere sedibus ausit?
Nam dominum secum qui tueatur habet.
10. Dentibus exiguam juvet indulgere quietem,
Delitias faciat protinus ille tibi.
Ora tibi exerta lambat bene pinguia lingua,
In nova mergendas fercula deinde manus.
11. Atque tuo pulices animalia iniqua catello,
Qualibet arte potens insidiisque cape.
In medium profer captos, ut in orbe locati
Crimine supplicium quod meruere luant.
12. Cum comedis, quantum potes ingere faucibus unà,
Ut bene distendas oris utrunque latus.
Non secus ac plenas distendit flamine buccas
Utriculo carmen pastor agreste canens.
13. Nec decet in patina quicquam superesse relictum,
Omnia vult vobis quæ dedit hospes edi.
Rumpendi potius subeas discrimina ventris,
Quam super ex epulis vel minimum esse sinas.
14. Tum si non poteris stomacho transmittere tritum
Dentibus, & longa est arida lingua siti,
Oris adhuc plenis cavitatibus, utere potu:
Ut cibus in ventrem diffluat, ille facit.
15. In calicem tenues ex ore emittere micas,
Nil, agreste licet quis putet esse, nocet.
Nam cur non liceat dapibus confundere potum?
Illa hominum vitam sed bene juncta fovent.
Ipsa jubet jungi potum natura cibumque,
Et res alterius altera poscit opem.
16. Ossaque relliquiasque & quæ tibi cunq; videntur
Esse tuæ lautæ non satis apta gulæ,
Abjice sub mensam, quo sint alimenta catellis:
His quoque quo vivant convenit esse cibum.
Sed sua, gaudentes præda, dum prandia sument,
Non puto quod pacis fœdera sancta colent.
Prælia sub mensa visu jucunda movebunt,
Et sibi erit visus quisque tulisse parum.
Forsan & arripient convivas mordicus ipsos,
Hic levis in tantis motibus error erit.

Suaviter iſta videns riſu quatiere, tumultus
Auctor enim tanti cauſaque ſolus eras.

CAP. III.

Qui mores poſt primum miſſum in menſa ſint ſervandi.

1. CUm bene de primo complêris viſcera miſſo,
Zona relaxari (diximus antè) poteſt,
Ventriculum pacto cibus hoc deſcendet in imum,
Et fieri melius coctio juſta poteſt.
Promptior accipiet nova denique fercula venter,
Qui nimium vinclis antè ligatus erat.
2. Jamque puer quadras pinguedine colliget unctas:
Ille novis dapibus ſemper habetur honos.
Hic propera, & primus reliquis cunctantibus orbem
In patinam celeri conjice ritè manu.
Cur tamen hoc deceat, promptum eſt mihi dicere
Accipe; non levis eſt illa putanda tibi. (cauſam:
Si patiare viros aliqua gravitate colendos,
Orbiculum primo depoſuiſſe loco:
Inde tuum ſuperinjicias (heu dedecus ingens!)
Magnorum quadras opprimet ille virûm.
An miſer ignoras quòd ruſtica turba potentum
Sub pedibus ſemper preſſa jacere ſolet?
Ergo tuam quadram quoque, ne videare ſuperbus,
Primus in allatam conjicies patinam.
3. Alterius quadram, quantovis dignus honore
Ille fuat, non ſit tollere cura tibi.
Quiſquis erit, quando ſibi cunque videbitur, orbem
Conjicere in diſcum ſi volet ipſe poteſt.
4. Aſt ubi reddentur quadræ pro more recentes,
Qui rapiat digitis tu quoque primus eris.
Si puer in primis tibi non adjecerit ullam,
Nil vetat extenſa corripuiſſe manu.
5. Matronas aliqui tanto dignantur honore,
Dent ut eis primas virginibuſque quadras.
Tu cave ne faxis, ſi quid mea dogmata curas,
Siquc tibi ſalvum vis decus eſſe tuum.

Ipſe

Ipse hominum mores qui sint hoc tempore nosti.
Utere præsenti qui sapis ergo foro.
Quæ facis, accipiunt in partem cuncta sinistram,
Proposito quamvis feceris illa bono.
Sic quoque si fueris aliquo dignatus honore
Matronas celebres, virgineumque chorum.
Protinus à quibus id factum culpetur habebis,
Cuncta latens hominum pectora virus habent.
Nec facili credas laturos mente maritos,
Quæ facis: attento lumine cuncta notant.
Accensumque novo te pectus amore putabunt,
Officium ex illo fonte scatere tuum.
Heu fuge Zelotypi bilemque odiumque mariti,
Qui te suspectum nomine amoris habet.
Res mala suspicio est, rerumque magistra malarum,
Immeritis fraudem sæpe necemque struit.
Parce tibi vitæque tuæ, ne captus in ulla
Infelix maneas suspicione diu.
6. Si post sublatos mora fit prolixior orbes,
Nec cupido adfertur protinus esca recens:
Non patiere diu dentes ventremque vacare,
Si nondum fueris plenus, ut esse voles.
Accipe de dapibus non segnis rursus eisdem,
Jam manducatum de quibus antè fuit.
Hisque perunge novos reliquis cessantibus orbes
Et solus nullo jam comedente vora.
Scilicet in mensa non est pudor utilis ullus;
Qui negat hoc, sanis sensibus ille caret.
7. Cum fuerint tandem nova reddita fercula mensæ,
In nova festinam fercula mitte manum.
Antè tamen mappa maculatam tergere quadram
Quantivis precii mappa sit illa, decet.
Scilicet hos mappis mensæ velantur ob usus,
Possit ut orbiculum tergere quisque suum.
Utque manus multa pinguedine ubique fluentes
Mundare & digitos oraque tota queas.
Hæc tibi dicta semel, semper repetenda memento,
Cum nondum fuerit pulsa molesta fames.
8. Vel si præ reliquis non nil venerandus haberis,
Inque tibi mensa primus habetur honos;

Sic ut cogantur reliqui expectare morantem ,
In patina donec sit tua prima manus:
Tunc epulas multo contingere tempore differ,
Id majestatem promovet usque tuam.
Qua ratione notam fugias levitatis ineptæ,
Si mox conjicias fercula in ipsa manum :
Fortè minore queas attingere cuncta periclo,
Si non tam magno clarus honore fores.
Non igitur nisi sis iterumque, iterumq; rogatus,
Fercula protensa carpito lauta manu.
9. Interea tempus consumito multa loquendo,
Vel cane, vel risum qualibet arte move.
Vel facias quadra ludos, vel denique cultro,
Sunt minuenda aliquo tædia longa modo.
Dum facis hæc, spectent alii, quia tangere nemo
Audiat appositas te remorante dapes.
10. Nec tibi turpe puta mento jam fulcra labanti
Auxiliatrices supposuisse manus.
Molliter in mensa cubito vel utroque, vel uno
Nitere; res non est illa pudenda tibi.
Si tamen hunc morem pulchrum non esse putabis,
In gremio geminas ritè reconde manus.
Inde potes rursus depromere, quando videtur
Iam discerpendi tempus adesse cibi.
11. Quando epulas tandem fuerit tibi tangere visum,
Optima quæ in disco videris esse , rape.
Carnibus assatos vitulinis eripe renes;
Hos reor ad stomachum posse quadrare tuum.
Sed de pisce lupo caudam laudare gulones,
De barbone caput dulce putare solent.
Primus es, illa tibi rapere est concessa potestas,
Protinus & quadra rapta locare tua.
Solus habe, solus retine, solusque vorato,
Nec tibi vicini cura sit ulla tui.
12. Quod si culter hebes, damnum tibi ferre putabis,
Quod facere officium non queat ille suum.
At vidi solitos duris illidere saxis ,
Ne promptus nimis ad fercula cuncta foret :
Imò acies serræ faciem dentesque referret :
Nec caret hæc usu callida techna suo.

Nimirum

Nimirum assatus si quando apponitur anser,
Anser qui pingui visitur esse cute:
Tunc te pelliculæ bona pars male scissa sequetur;
Hanc in deliciis vulgus habere solet.
Præstat id officium culter serratus, & idem
Excusat, si quid criminis illud erit.
13. Commodius sumptas venter quo digerat escas,
Pocula sunt semper continuanda tibi.
Cumque alius digitis bibiturus pocula sumpsit,
Tu pete, vix credo quod neget ille tibi.
Si negat, & sitiens prius exhaurire parabit,
Tu rape vicini pocula ab ore tui.
14. Quæ simul ac nactus fueris, retinere memento;
Quis novit quando sint reditura tibi?
Tunc licet & sitiant alii, moneantque frementes,
Ut bibere atque aliis tradere pocla velis:
Nil moveare tamen, sed tu sitientibus illis,
Quando tibi visum est, suaviter usque bibe.
15, Solus & altisonis imple clamoribus ædes;
Pocula facundos reddere plena solent.
Verberet hospitibus patulas vox nullius aures
Quàm tua, nil alios dicere posse sines.
Solus clamores, & pocula solus habeto.
Et memores, satis ut sis in utroque frequens,
16. Cumq; bibes, nares emungere, tergere labra,
Res minor est quam quæ sit facienda tibi.
Cur tibi res aliquam creet ista levicula curam?
Non nisi permagnæ sit tibi cura rei.
Omnia quæ ventrem spectare scies ad eundem,
Cur detergendo dissociare velis?
Seu caro, seu potus fuerit, seu panis, adépsve,
Per stomachum vadunt omnia, perque gulam.
17. Si tamen omnino tergenda putaveris ora,
Serviat officio candida mappa tuo.
Illa tui excipiat mox excrementa cerebri,
Et mundet rostri pinguia labra tui.
18. Interulæ manicam quoq; protraxisse, quibusdam,
Atque in ea nares tergere & ora, placet.
Talia si pulchrum sectari exempla videtur,
Non ego, qui licitum non putet illud, ero.

19. Pocula vicino, quamvis non postulet ille,
Propones, potu cum recreatus eris.
Ne tibi fortè obstent edere optima quæque volenti,
Neu faciant ne sit libera dextra tibi.
Inde queunt promptè recipi cum postulat usus,
Utque mero fauces œsophagumque riges.
20. Si tamen & vicinus eandem noverit artem,
Ut tibi proponat pocla molesta sibi:
Tunc vel festiva te voce sitire negato,
Atque illi placida pocula redde manu.
Vel potius totas effunde furoris habenas,
Profer & irato grandia verba sono.
Cur mihi proponis tua pocula non sitienti?
Cur non illa eadem te magis ante locas?
An mihi rem gratam facturum te esse putasti,
Impediat nostram si scyphus ille manum?
His quoque si verbis convitia turpia junges,
Efficies ne quid postea tale feras.
Nulla tamen mora sit, potare subinde decorum est,
Temperat & sumptos potio crebra cibos.
21. Cum reliqui cessant, cessantes graviter urge,
Sobrius ut cœna surgere nemo queat.
Exemplum de te capiant, tu prævius ibis,
Et primus reliquos ebrius inter eris.
Tum quoque si quicquam deliqueris ebrietate,
Ignosci citius commodiusque potest.

Cap. IV.

De modestia edendi & bibendi.

Vidi ego qui nollent (non est mos ille probandus)
Hospitis immunes tecta subire sui.
Quisque igitur secum spumantia vina ferebant,
Optima judicio vina putata suo,
Hic quod erat rapidi natum per littora Rheni:
Ille jugis genitum Francica terra tuis.
Pannoniis alii sub collibus orta ferebant,
Quæque aliis alio nata fuere loco.
1. Quid mihi de tali videatur more, requiris?
Non ego, qui fieri talia laudet, ero,

Nulla

Nulla feres: si me, parsurus sumptibus, audis:
  Quæ tibi poturo vina det hospes, habet.
Si tamen ulla tuo fers consulturus honori,
  Ære tibi nimio non ea stare velim.
Quæque vel in tota vilissima noveris urbe,
  Convivis reliquis illa daturus, emas.
2. Cum tamen in mensam veniant quæ quisq; ferebat,
  In primis quæ sint optima vina, vide.
Inde scyphum magnum, plenum post terga repones;
  Postea tu solus cum libet inde bibes.
Nam ne non ad te redeant ea vina timendum est:
  Hoc bene vitabis præveniesque malum.
3. Omnibus hinc reliquis ut lætior esse puteris,
  Plurima quæ risum promereantur age.
Incipe præcelsa lætissima cantica voce,
  Deque tuo longum carmen amore refer.
Quatuor humores nostri sunt corporis, illos
  Affectu vario corda ciere ferunt.
Ignavos, tristes, austeros, terrea bilis:
  Ignea, commotos esse furore, facit.
Quid tibi multa levi & fatuo de phlegmate dicam?
  Optimus est sanguis, lætitiæque dator.
Ergo sanguineus credaris ut esse, subinde
  Cantillans vocem tolle per astra tuam.
De choreis loquitor, de vinis, deque puellis,
  Blanditias profer delitiasque meras.
4. Si tibi de magno quisquam cratêre propinat,
  Cum bibit ille, calix mox rapiendus erit.
Nil referre puta, quod nondum porrigit ille,
  Et quod adhuc illinc plus bibiturus erat.
Qui dedit absque mora, est bis donavisse putandus,
  Vicino dices, ni bibat ille, tuo.
5. Cum fueris tandem nactus cratêra bibendi,
  Quos bene servabis, tres tibi pono modos.
Cum te destituet malefidus anhelitus oris,
  Cessandi primum tempus adesse putem.
Ni malis auram, cyatho nec ab ore remoto,
  Ducere, quod fieri non sine laude solet.
Inde oculos quando replet lachrymabilis humor,
  Luminibusque fluit plurima gutta tuis,

Hoc tibi cessandi signum queat esse secundum,
 In vitio, si quis antè remittit, erit.
Tertia signa tibi quæ sunt certissima pandam,
 Illa scias nullo fallere posse modo.
Cum vacua exhausto jam pocula tota Lyæo
 Videris, à cupidis faucibus illa move.
Non ego sum, vacuo qui de cratere bibendum,
 Pannonico ex auro sit licet ille, putet.
6. Quiq; tibi est magno vacuatus cantharus haustu,
 In mediam mensam projiciendus erit:
Ut tuus aspiciat Bacchi vicinus inanem,
 Utque eadem post te nôrit agenda sibi.
Ni facias, levibus videas certamina causis
 Surgere, quæ forti sint dirimenda manu.
Non etenim credent te respondisse bibendo,
 Ni videant oculis pocula versa suis.
7. Hinc epulis iterum manus injiciatur opimis,
 Atque iterum è patinis optima quæque rape.
Quippe tibi dulces & Bacchi munera pascunt,
 Sumpta per alternas corpora nostra vices.
8. Cumq; voras, magnas facies è panibus offas,
 Has sentire tuo scilicet ore potes:
Atque avium pullis est esca terenda minutim,
 Ne lædant teneram grandia frusta gulam.
Fortibus illa viris metuenda pericula non sunt,
 Qui crassum firmo tegmine guttur habent.
9. Apposito frustum scindens de pane, caveto
 Scindere qua reliquos parte scidisse vides.
Sed latus oppositum cultro pete, dulcior illinc
 Forsitan avelli crusta resecta queat.
10. Inde tibi longas scindes bene providus offas,
 Quas capias tota contineasq; manu.
Has in aromatici pinguedine tingere juris,
 Extremo saltem fine, decere putem,
Intinctumq; avido morsu prærodere panem:
 Ille gulæ ingratus non solet esse sapor.
Iamq; iterum morsas iterumque intingere partes,
 Non sine magno usu, non sine laude potes.
11. Ore loqui pleno, si rerum ita postulet usus,
 Non veto: quin potius suasor & auctor ero.

Res habet illa ſuum, facias modò ſæpius, uſum,
Certior exemplo, quid juvet, eſſe potes.
Eloquium toto notum eſt Demoſthenis orbe,
Gloria Cecropii qui fuit una ſoli.
Illius aſtricta retinebant vincula linguam,
Verba foro poſſet quò minus apta loqui.
Ergo animum varias celerem vertebat ad artes,
Vincula quò linguæ ſolveret ille ſuæ.
Saxa loquens blando prudenter in ore rotabat
Parvula, ad inſani littora curva freti.
Pugna vero duplex. Linguæ retinacula contra,
Quod voluit, bellum parvula ſaxa gerunt:
Promptius ut ſaxis aliquando ex ore remotis,
Senſa animi poſſet libera lingua loqui.
At ſtrepitus contra vocem intendebat & æſtus,
Quæque ſonant rabido murmura clara mari:
Diſceret ut populi clamantis ferre tumultus,
Concio clamoſo ſi ſit habenda foro.
Non ita ſtultus eris, tu commodioribus uti
Artibus, admonitus per mea juſſa, potes.
Pro rigidis carnem volvens panemque lapillis,
Inſtitues pleno quælibet ore loqui.
Atque tuo ſtrepitu clamores vince bibentum,
Murmura ferventis vicit ut ille freti.
12 Cumq; ferè ſatur es, reliquorum attendito mores,
Non iſti poteras antè vacare rei.
Excipitoq; levi dicta & facta omnia riſu,
Diſſona ſi qua tuis moribus eſſe vides.
Carpe libens quæcunq; potes, pete ſcommate cunctos,
Aut etiam ficto crimine quenque grava.
13. Alterius culter jaceat ſi fortè ſupinus,
Et cœlos acies ſpectet, & aſtra poli:
Huic illide tui ferrata manubria cultri,
Dignus erit magnis riſibus ille jocus.
Quidam in eo numerant quot paſſibus inclyta Roma
Diſtet ab hinc, & tot verbera congeminant.
Hunc equidē morem non improbo: tu quoq; eundem
Ritè ſequens, plauſu laudeq; dignus eris.
Non tamen, erga alios licet hunc ſervare ſit æquum,
Ut facias eadem tu mihi, ſuaſor ero.

Forſan

Forſan enim grates alioquin ipſe rependam,
Et quæ ſint meritis præmia digna tuis.

CAP. V.

De Voracitate, Riſu, Vomitu in menſa, & de aliis Civilitatibus.

PLurima ſunt quæ te poſſint convincere agreſtem
In cœna, & mores non didiciſſe graves.
Cura ſed immenſos ſecum trahat illa labores,
Singula ſi mihi ſint hoc recitanda loco.
Non mihi Naſonis ſi ſint in carmina vires,
Omnia pro merito commemorare queam.
Pauca tamen, (quamvis me jam ſis doctior ipſo)
Quæ facias, iſta parte docere libet.
Nec te pœniteat mihi tempora pauca dediſſe,
Fortè ferant ingens tempora pauca lucrum.
Diſce puer mores ex me, juveneſque virique
Diſcite, non tardis paſſibus hora fugit.
1. Plena per inſtructas evertere pocula menſas,
Omnia quo Bacchi merſa liquore fluant:
Obtinuit longæ jam conſuetudinis uſus,
Atque ideo nullum crimen habere poteſt.
2. Vidi etiam quando læti voluêre videri
Jam juvenes, animos exhilarante mero,
Quod leviter peterent incautos pane ſodales,
Carneque quam plena corripuere manu.
Talibus exhilarant juvenilia pectora ludis,
Quoque ſuum poſſint fallere tempus, habent.
Vidi eadem ſimili nuper ratione patrantes
Maturos annis conſilioque ſenes.
Quid faciant juvenes, cum talia grandior ætas
Turpia ſympoſiis non putet eſſe ſuis?
Non equidem ſenibus leges temerarius auſim
Dicere: ſponte ſenes quod decet illud agunt,
Vos pueri & juvenes inter convivia, geſtus
Qui deceant, ex me diſcite, quique minus.
3. Panis habet duplicem, res eſt notiſſima, cruſtam,
Alteraque ex illis purior eſſe ſolet,

Inferior cinere eſt & toſta plena farina,
  Hæc nihil optati cruſta ſaporis habet.
Quæ te igitur moneo, tu mente notata fideli
  Exequere, & prudens eſſe ferêris homo.
Scinde tibi totis de panibus undique cruſtam,
  Quam cinere & nigra labe carere vides.
Dicitur illa etiam prohibere à fluctibus alvum,
  Et nimium laxi ſiſtere ventris opus.
Sin tamen hanc ſolam diſcindere fortè vetabit
  (Quem tibi non magnum convenit eſſe) pudor,
Legitimoque voles panem de more ſecare,
  Corticis ut pariter partem utriuſque feras:
Non veto, ſed noſtris ſi præbes verſibus aures,
  Qui tibi erunt certi facta ad honeſta duces:
Cuncta ſimul nulla deſecta parte vorabis,
  Et cinerem & pani quicquid adhæret edes.
Ingluviem cineres quoque cum carbonibus explent,
  Omnia quæ pani deſecuiſſe nocet.
Vectigal ſiquidem eſt ægris mortalibus ingens,
  Non malè quæſitis parcere poſſe bonis.
Si tamen hoc nolis, proprio quod parta labore
  Non comedas, alio fercula dante tibi:
Quid dubitas? facile eſt aliena vivere quadra;
  Prodigus hoc pacto quilibet eſſe poteſt.
Si quid habet ſordis panis, quod lædere dentes,
  Aut ſapidum linguæ non ſatis eſſe queat:
Mox reſcinde bonam craſſo cum cortice partem,
  Illa dari canibus præda reſecta poteſt:
Ictibus aut crebris reſeca, cultroque reducto,
  Diſſiliant cruſtæ fruſta minuta procul,
Inſiliantque oculis vicina in parte ſedentûm;
  Scilicet hoc parvæ non erit artis opus.
4. Sæpe natans epulas commendat Amygdala dulcis,
  Zaccharaque Attæis æmula facta favis.
Lance vel in ſumma butyri nobilis humor
  Viſitur, aut durum quæ tulit uva pedem;
Aut aliud lautas per ſe, quod condiat eſcas,
  In patinis ſummo jure natare ſolet:
Hæc ego conſpiciens diſcum converto per omnem;
  Sic mea me genitrix ſueta docere fuit;

Inque avidum mitto suavissima pemmata ventrem,
Nec tamen hinc unquam damna vel ulla tuli.
Si nihil hos credes mores tibi posse nocere,
Exemplum docilis sæpe imitare meum.
5 Accidit interdum, sumptis cum carnibus ossa,
Non bene in incautam missa fuisse gulam:
Illa solent motos gingiva elidere dentes,
Aut patulum obstructæ claudere faucis iter.
Quid facis? an nondum tanto obvius ire periclo
Incipis? an vitæ non tibi cura tuæ est?
Pande tui rictum labiis cedentibus oris,
Aufer & inserta, quæ nocuere, manu.
Aut super appositum diductis dentibus orbem,
Leniter è mediis faucibus ossa cadant.
Vituperent alii, sed te fecisse necesse est:
Qui nocet, ah non est utilis ille pudor.
6 Nunc etiam quando sumpta recreatus es esca,
Arripe porrecta pocula plena manu.
Pocula quæ sumes aperi, teque ante locato,
Hæc quoque res aliquid cur celebretur habet.
Nam vapor ex illis exhalat inutilis omnis,
Qui poterat cerebro durus obesse tuo.
Inde super Cyathum suprema parte patentem,
Plurima quid noceat verba subinde loqui?
Forsitan obtineas faciens ut pocula nemo
Appetat, & solus quæ placuere bibas.
7. Incipe nunc hilari testari gaudia fronte,
Gaudia quæ tacito pectore clausa tegis.
Mens hilaris multo gaudet se prodere risu,
(Nil hilari melius pectore mundus habet.)
Ergò perpetuo risu semperque studebis,
Sive labris sumes pocula, sive dapes.
Sæpe ita ridebis, quo pleno ex ore resultent
In patinam sumpti frustula multa cibi.
Exiliant potius, quàm duræ illapsa tracheæ
Aeris obturent ingredientis iter.
Certior ad subitam vix est tibi semita mortem,
Claudere quam attracto guttur inane cibo.
8 Sed propè tempus adest sumptæ post fercula cœnæ,
Quo famulus mensas exonerare volet:
Sique

Sique famem nondum placato ventre fugasti,
  Iam properans tardæ damna repende moræ.
Visceraque ingesto reple potuque ciboque,
  Dum licet; haud semper copia talis erit.
Sic bibe, sic cœna, simul ut potusq; saturq;
  Efficiare, quies nulla sit antè tibi.
9 Et si singultus tum cœperis edere crebros,
  Non dubia hæc vomitum signa præire solent.
Nil novitate rei turbêre, nec esse putato
  Turpe, sed obstantes surgere coge tibi:
Ejce, digressus paulum, quodcunque gravabat:
  Ad mensam ablutis dentibus inde redi.
10 Cumque reversus eris, ventrem jam denuo reple,
  Ut nova jam vacuum repleat esca locum.
Non bene ferre potest rerum natura creatrix,
  Corpore, sub cœlo, qui vacet, esse locum.
At si non poteris vomiturus surgere cœna,
  Sub mensam lepidum protinus abde caput.
Hic stomachus reddat quantum volet absq; pudore,
  Id gratum canibus lingere munus erit.
Quid moror? in medias audacter projice mensas,
  Quod tibi ventriculum triste gravabit onus.
Nullus erit, vel in ipsa vomas si fercula, dignum
  Qui venia facinus non putet esse tuum.
Nec vomitus illi turpes posse esse videntur,
  Cui laudem ingluvies ebrietasque parit.
Immò etiam multis nullus conviva probatur,
  Quin potum certis se probet esse notis.
Omne feres igitur punctum, si tempore cœnæ
  Ebrius, ex nimia sedulitate vomas.
Hospitibus gratum facies dominoque vocanti,
  Symposiique decus totius unus eris.
Quippe tuo vomitu bona vina fuisse probabis,
  Quæ dedis hospitibus qui dedit illa suis.
Materiam quoq; de qua mane loquantur habebunt,
  Et tu potores nobilis inter eris.

CAP. VI.

De lotione manuum à cœna, de mensis secundis, & quid apud virgines deceat.

1. POstquam epulis exempta fames, mappæq; remotæ,
Pura ad tingendas ponitur unda manus.
Pigritia est vitium: ne sis piger, arripe pelvim
Primus, & hac palmas primus utrasque lava.
Hinc os & faciem quando tibi tempore visum est,
Et nares largo rore rigabis aquæ.
Inde lavaturis concede sodalibus undam,
Quæ satis est manibus sordida facta tuis.
Et post te matrona lavet, quantumlibet illa
Clara sit, & post te virgo colenda lavet.
Pura tuas sordes felicius abluet unda,
Quam quæ jam multa est sordida facta manu.
2. Invenias adeo quosdam tamen esse modestos,
Ut nullam tangant ni jubeantur aquam.
Vel certè expectent, donec reliquî prius omnes
Abluerint, ut se deinde lavare queant.
Hos tu conspiciens securos, nilque timentes,
Affuso liquidæ fonte rigabis aquæ.
In faciemque haustum manibus de fonte liquorem,
Inque oculos sparges largiter, inque caput.
Id precium nimio meruisse pudore videntur,
Idque sua stulti pro pietate ferant.
Nuper id in cœtu quidam tentabat honesto,
Sed misero cœptum non bene cessit opus.
Namque ubi matronas perfundere rore parabat,
Fœminea tulit id præveniente manu.
Lumina vix poterant undis oppleta tueri,
Barbaque suffusis tota fluebat aquis.
Ah pudet, & victum succumbere pœnitet: ergo
Concipit ingenti pectore majus opus.
Malluvium digitis correptum vertit, & undas
Fortiter in medium dissipat ille gregem.
Tum verò exoritur risusque jocusque sedentûm.
Et plaudunt manibus fœmina virque suis.

3. Est quoque cum nemo palmas intingere primus
Sustinet, atque alium quisque lavare jubet.
Hęc morum gravitas conviviis addit honorem;
Pompa decet magni nominis illa viros.
Tu nimis illa diu differri balnea cernens,
Materiam solidæ laudis adeptus eris.
Mox, siquidem nemo digitos putat esse lavandos,
E medio tolli præcipe rursus aquam.
Namque quid incassum fluviatilis occupet unda,
Qui proprius vino debuit esse, locum?
4. Pemmata jam venient mensis allata secundis,
Tu celer hoc, ne sis fortè secundus, ages.
Optima quæque potes bellaria sumere primus:
Ultimus in patina, deteriora feres.
5. Verte tuo arbitrio patinas, & singula verte,
Quæque tibi arrident absque pudore rape.
Omnibus esse putas naturam rebus eandem?
Falleris, hæc illa plus bonitatis habet.
Indita nec frustra rerum discrimina nostris,
Nec sine consilio, mentibus esse putem.
Sed magis ingentes rerum pater altus ob usus
Contulit hæc hominum munera magna gregi.
Scilicet ut possit discernere quisque quid ipsi
Conveniat, vel quę non placitura putet.
Utere judicio (nihil imprudenter agendum est.)
Et citus è patinis optima quæque rape.
6. Nil opus est pomis abscindere velle putamen:
Cur quid agas, quod non esse necesse putes?
Et stomachum, melius sumptas quò concoquat escas,
Cortice cum viridi poma comesta juvant.
Sique diu fueris purgando cuncta moratus,
Interea arboreæ diripientur opes,
Cumque voles iterum patinis immittere palmas,
Nil tibi quod palmis diripiatur erit.
Dum superesse vides aliquid, cessare caveto;
Non poteris tales semper habere cibos.
Fercula de mensa nec convenit illa remitti,
Namque suas sperni crederet hospes opes.
Pemmata nec dederat rursum quæ tolleret hospes,
Sed posita, ut saltem quisque voraret, erant.

7. Quòd

7 Quod si cum satur es bellaria lauta supersunt,
Illa potes manica condita ferre domum.
Si tibi sunt nati, genitor gratissimus illis,
Hæc, venies, tecum munera grata ferens,
Sin minus: ipse domi quæ tecum rapta tulisti,
Visceribus mittes fercula lauta tuis.
8 Dente nuces aperi, nisi mavis frangere cultrum,
Damnaq; prudenti non patienda pati.
Vidi homines uno pugnis qui grandibus ictu
Impositas mensæ comminuere nuces:
Cuncta resultabant per totas pocula mensas,
Multaque fracta suum non tenuere merum.
Horum ego tum vires hominum mirabar, & illos
Eximie fortes rebar habere manus.
Qui pedibus possent calcatas frangere vidi:
Nucleus ut dura colligeretur humo.
Quos tibi cunq; libet sequitor, modo parcere cultro,
Triste aliquod damnum ne ferat ille, queas.
9 Vicinumq; tuum cortex est ante locandus,
Nec dolus ille sua commoditate caret.
Hac ratione tuo quia succurretur honori,
Machinaque ingluviem contegit illa tuam.
Namque vorax aliis minus esse videberis hospes,
Et cupidæ leges dicere posse gulæ.
10 Forsan & occurrent tibi, fortiter inter edendum,
Quæ videas stomacho non placitura tuo.
Sive sit infectum fœda putredine malum,
Seu pyra vermiculis pervia, sive nuces.
Protinus illa tuo vicino porrige amicè,
Fallor? an hæc alio doctus es ante loco?
11 His epulis quando factum satis esse putabis,
Incipies alio lætior esse modo.
Tum si forte tuo lateri sit proxima virgo,
Virgo verecundo lumine blanda tuens:
Multa protervus ages, & multa loquere protervus.
Ludus enim ætati convenit ille tuæ.
Nec melius quicquam te commendare puellis
Credito, quam semper verba jocosa loqui.
12 Tange etiam partes quas gaudet fœmina tangi,
Inque sinu tepido virginis abde manus.

Tange

Tange puellares digito petulante papillas,
Blandaque virgineis oscula fige genis.
13 Quòd si gemma tibi digitos exornat, & aurum
Aut torques collum circuit unca tuum,
Aut si fila tuam prætexunt serica vestem,
Si quid erit quo te posse placere putes:
Id quocunque modo potes ostentare, subinde
Ostentes, mirè complaceasque tibi.
Illa tui magno mox corripietur amore,
Et tua perpetuò scilicet esse volet,
Splendidiore leves capiuntur veste puellæ,
Virgineusque auro conciliatur amor.
14 Tu quoq; nonnunquam gemitu fatearis amorem,
Et loquitor nutu pectoris ima tui.
Utque sui verò te norit amore teneri,
Virgineum duro clam pede tange pedem.
15 Sæpe propinabis temere non parva puellæ
Pocula; quæ magni pignus amoris erunt.
Inde vel invitam tibi respondere bibendo,
Coge minis: certè gratus amator eris.
16 Summa sit ista: tibi sit nulla modestia curæ,
Et tibi quod pulchrum cunque videtur, agas.
Ebrietas facinus quodcunque excusat, & inter
Pocula quantumvis turpia facta decent.

CAP. VII.

De clamoribus & tumultibus à cœna; de digressu, & de pactione crastina cœna.

SEd quid ages, quando tenera cum virgine mater
Fida suæ repetit notaque tecta domus?
Est alia tempus tibi jam ratione terendum,
Ne tibi symposium tædia longa ferat.
1 Ergo aliquis tacito fuerit sermone loquutus,
Tectaque vicino dixerit ulla suo:
Tu patulas aures submissis arrige dictis,
Ut clam quæ loquitur verba notare queas.
Forsan enim de te quæ pauca loquatur habebit,
Quæ potes adventu rumpere verba tuo.

Quicquid

Quicquid erit, turbes, quid enim sua murmura ce-
Deque suis inter pocula rebus agunt? (lant?
2. Denique quicquid agent alii, quæcunq; loquentur,
His ego te mixtum semper adesse velim.
Invenias semper quod agas in rebus eisdem,
Et quæ verba queas non sine laude loqui.
3. Vel si nullus erit qui grandia verba loquatur,
Tu poteris solus grandia verba loqui.
Stentoreo solus magnum clamore tonabis,
Possit ut exemplum quisque videre tuum.
Non tibi defuerint quæ possint plurima dici,
Si modo facundis vocibus esse velis.
4. Prolixa est series absentum rodere vitam,
Hoc opus ebrietas non sinit esse scelus.
Si tamen hæc turpis tibi consuetudo placebit,
Vix ego discipulum te rear esse meum.
Et puto quod possis sceleratos inter haberi,
Quos procul à nostro convenit ire libro.
5. Vel tua transactæ petulantia facta juventæ,
Et scelera & clara crimina voce refer.
Invenias multos captare hoc nomine laudem,
Vita quod ipsorum flagitiosa fuit.
6. Sin pudet hoc (quanquam te vix pudor addecet
Accipe quo mora sit longa terenda modo. (ullus)
Grandia de minimis moveas certamina rebus,
Si modo qui tecum disputet ullus erit.
Quod tibi dogma placet magno clamore tuere:
Inferior causa es, voce supremus eris.
Utere voce tua, ne præ clamoribus istis
Exaudire aliquis verba sua ipse queat.
7. A quoquam monitus lingua moderatius uti,
Utque loqui saltem verba minora velis:
Fortius emittes claram de gutture vocem;
Liber es; & certe libera lingua tua est.
7. Semper item (quamvis quæ sunt falsissima dicas)
Propositum firma mente tuere tuum.
Cede manus victas nulli, succumbito nulli,
Te præter nullum vera fatere loqui.
At tibi si nolet tuus adversarius usquam
Cedere, judicio stare voletque suo:

Hanc

Hanc ignominiam non arbitror esse ferendam;
  Si vir es, horrendas audiat ille minas.
Iratus mensa surges, iratus abibis,
  Nec dices cuiquam cum fugis inde, Vale.
Scilicet incuties hac omnibus arte timorem,
  Ut te victorem semper abire sinant.
9 Vel quæ non poteris clamosa voce tueri,
  Pugnaci tibi sunt illa tuenda manu:
Educto gladio Majorque Minorque probetur,
  Et dubiis fiat dura per arma fides.
Argumenta potest ensis quoque solvere strictus,
  Quæque volant tota pocula jacta domo.
10 Si nil tale libet, nec sunt tamen otia cordi,
  Otia symposio non satis apta putem:
Symbolon educto mensis incidito cultro,
  Exprimat aut nomen litera scripta tuum.
Sic memori te nulla dies unquam eximet ævo,
  Teque scient illo quisque fuisse loco.
Vel pinge arrepto turpem carbone figuram;
  Ingenii signum grande sit illa tui.
11 Nec tamen interea studium cadat omne bibendi,
  Sed pede festino progrediatur opus.
Pocula cum bibulo vacuasti gutture, quæ mox
  Tradere vicino te jubet ordo tuo:
Ante manu tota circum deterge decenter,
  Qua tibi sunt labiis pocula tacta tuis.
Namque manus certè fœdato mundior ore est,
  Sæpius in pura quippe lavatur aquâ.
12 Sæpe etiam spumæ nubes supereminet, illam
  Discuties digitis providus antè tuis.
Inde vel ipse bibes quantum tibi cunque libebit,
  Vel modò vicino pocula plena dabis.
Inque oculos raptam vicini mittere spumam,
  Si libet, haud equidem qui vetet illud ero.
Proficies aliquid certè, risumque movebis
  Omnibus, aut, ira qui moveatur, erit.
Insufflant aliqui plenis spiramine buccis
  Pocula, nec ratio displicet illa mihi.
Pestiferum renovant stridentes aera venti,
  Quando cient toto prælia dura polo.

Et tuus inflati purgabit anhelitus oris,
Quod tua non deceat pocula, si quid erit.
Dumque animam cyathis inflas, simul injice spu-
Quid magis hoc facto te decuisse queat? (tum.
13. Strenua cum fuerit potatio fortiter, uno
Quæ veniunt haustu pocula cuncta bibe.
Peccatum est etenim fieri per plura, quod uno
Absolvi poterat commodiore modo.
Rursus & epotum te coram ponere vitrum,
Impletum vino rursus ubi illud erit:
Atque propinanti bis respondere licebit,
Id quoque damna tibi non ita magna dabit.
Nam citius potus fies, citiusque redibis
Insana titubans ebrietate domum.
14. Ire domum nunquam libeat, quin hora secunda
Jam mediam noctem præteriisse notet:
Et licet observes, dormire quod expetat hospes,
Nequaquam tamen ut dormiat ille sines.
Imo etiam si te per sacra deosque rogarit,
Digneris tandem potus abire, nega.
15. Iam quoque si quenquam dormitum abiisse re-
Quod vino victas cesserit ille manus, (scisses,
Protinns è lecto convivia in ipsa reduces
Invitum, nudo sit licet ille pede.
Tum primum incipies Bacchi gustare liquorem,
Atque mero sensus exhilarare tuos.
16. Pocula jam demum franges, frangesq; fenestras,
Sic quod postridie persoluatur erit.
Hinc tua ut in fractis ponatur imago fenestris
Effice, nobilibus mos placet ille viris.
Sic tua qui vitris inscripta insignia cernet,
Nobilibus genitum te quoque credet avis.
17. Scamna per & mensas saltabis fortiter, imo
Omnia robusta vertito scamna manu.
Denique disjectis fornacem frangito scamnis,
Ante tibi gratum non sit abire domum.
18. Hoc tamen inprimis volo te meminisse, prius-
Inde tui repetas frigida tecta laris; (quam
Fœdera cum potis nova cautus inibis amicis,
Fœdera visceribus nil nocitura tuis.

A quibus ad cœnam cras inviteris opimam,
  Nec te venturum, quando vocâre, nega.
His ego nonnunquam quoque callidus artibus usus,
  Ad non speratas advocor ipse dapes.
Quando tuis tandem vivemus in ædibus? inquam,
  Quando erit ut nobis sit tua aperta domus?
Protinus ille mihi dicit cogente pudore,
  Tempore quo libitum sit tibi cunque veni.
Si tibi sic visum est, venias cras tempore cœnæ;
  Pro tibi erit censu cœna parata meo.
Mox te polliceor venturum, & dejero sancte,
  Me bene promissam fallere nolle fidem.
Hos sequitor mores, & sæpe vocaberis hospes:
  Sic potes ad lautas sæpe venire dapes.
19. Arte tamen si quis quoque te tentârit eadem,
  Promittes temere, me monitore, nihil.
Esse vocaturum, cùm debeat ille venire,
  Dicito, sed, fieri jam bene posse, nega.
Publica jam mihi sunt commissa negotia, & illis
  Implicitus multis forte diebus ero.
Vel refer uxorem jam non satis esse paratam,
  Quod cubet ægroto morbida facta toro.
Iamque Machaonia spectatus in arte Galenus,
  Supposuit medica clysmata lenta manu.
Et modo laxata non segniter egerit alvo,
  Spero brevi sanam ceu fuit ante fore.
Post ubi erit visum mihi, teque aliosque vocabo,
  Exhilaraturus pectora vestra mero.

Cap. VIII.

Quomodo à cœna ebrius se domum conferat, quid in via & domi tumultuum ante somnum excitet, & quomodo se postridie gerat.

1. OMnibus ex animi voto sic ordine gestis,
  Incipe, congeminans jubila, abire domum.
Nil opus est isthic hominum valedicere cuiquam,
  Nec grates verbis reddere velle diu.
Scilicet invitum retinere diutius hospes,
  Si bene te potum senserit ire, volet?

2 Nec precio quæras quanto potaveris, illud
Mane poteſt hoſpes commemorare tibi.
Si quid habere volet, te deinde vel ipſe monebit,
Tu reticens tugurî tecta ſubito tui.
3 Horriſonoque omnes turba clamore plateas,
Ut te convivam quiſque fuiſſe ſciat.
Vicinum patitor nullum dormire, ſed omnes
Ob ſtrepitum facias evigilare tuum:
Huic maledic, illum petulanter ad arma laceſſe,
Si modò quid toto pectore cordis habes.
Offenſas veteres, vetereſque ab origine rixas,
Cura ſit ut renoves cùm bene potus eris.
4 Cum veniet tandem ut tua verba ſuperba retundat,
Mox tibi feſtina eſt arripienda fuga:
Ne nimis incidat magno tibi vulnere venam:
Ex illo in dubium vita venire queat:
Deliquiumque animi, vena cum ſanguis aperta
Elicitur, rarò non ſolet inde ſequi.
5 Non ego vituperem ſera qui nocte feneſtras,
Ut minuant, ſaxis ſtipitibuſque petunt.
Tu quoque nonnunquam facies ea, namq; bibaci
Ebrietas homini cuncta licere facit.
Nec tamen hoc facinus committere ſobrius auſis;
Qui facit, à noſtro ſit procul ille libro.
Talia ſi patrans vigiles exciveris urbis,
Qui te concludant carcere, magnus eris.
Tutus ab inſidiis inimici in carcere deges,
Et tuus hunc hoſtis nolet adire locum.
Ignivomi deges illic quoque ſolis ab æſtu
Liber, & a pluvia Sithoniave nive.
6 At ſi tam fueris felix ut nemo ſequatur,
Nec tua te quiſquam facta patrare vetet:
Tandem ubi feciſti mala plurima, perque plateas
Omnia turbaſti jam ſatis, ito domum.
7 Janua nunc quanto tua ſit pulſanda tumultu
Accipe, quo conjux excipienda modo.
Principio tanto pulſare fragore memento,
Ut tonitru, quiſquis percipit, eſſe putet.
Nec requies, donec pulſando fracta fatiſcat
Ianua, pulſanti quæ tibi dura fuit.

8 Tum

8 Tum si forte tibi venienti occurrerit uxor,
Ut reseret clausas officiosa fores:
Excipiatq; suum blando sermone maritum,
Quem plenum multo sentiet esse mero:
Huic tu sublata colaphos impingito dextra,
Nec quicquam pugnos non meruisse juvet.
Verbaque verberibus superingere grandia duris,
Discat ut ad nutus esse parata tuos.
Nux, asinus, mulier, cum tristia verbera cessant,
Nil faciunt recte, mobile vulgus ait.
Ergo tua ut recte faciat quæ præcipis uxor,
Nimirum plagis erudienda venit.
Mos tamen immanes magis ille decere Cyclopas,
Barbara quos aluit Sicelis ora, queat.
Qui male consortem thalami, nil tale merentem
Tractat, & hoc fortis judicat esse viri:
Hunc ego præscriptas à me transcendere metas,
Inque scelestorum partibus esse putem.
9 Non ibit cubitum, quin te veniente resurgat
A vix incepto tota sopore domus.
Acribus hic verbis erit objurgandus, at ille
Verberibus sævis accipiendus erit.
Quicquid in immenso peccavit quilibet anno,
Cum fueris potus cuilibet objicies.
Ut te ceu dominum timeant, venerentur, honorent,
Et verbum trepident oris ad omne tui.
10 Inde tua in dulcem declines lumina somnum,
Quando tibi est adeo res bene gesta domi.
Quamq; voles longo securus tempore stertes,
Sic tamen ut lectus præmia digna ferat.
Ne famulæ desit, quod ei sit mane lavandum,
Mercedem gratis ne ferat illa suam.
11 Atque ubi jam tepidis è plumis mane resurges,
Phœbo per medias axis eunte vias,
Poculaq; ingesti fuerint concocta liquoris,
Sumpta tibi hesterna pocula plena die,
Mox repetes fidos quos noras ante sodales,
Dum veniant vacuæ prandia danda gulæ.
Interea vario tempus sermone teretis:
(Crapula per lepidos discutienda jocos.)

Tu quoque cunctorum quo promereare favorem,
    Ingenii vires experiere tui.
Cuncta memor repetes hesternæ gesta diei,
    Quæque apud insanum dicta fuere merum.
Si nimia turpes aliqui ebrietate fuere,
    Maneque dedecoris non meminere sui:
Tu quoniam fido sub pectore cuncta notasti,
    Ilicet in lucem cuncta referre velis:
Quæ repetens multis risum, sed pluribus iram,
    Ut variant animi sæpe, movere potes.
12. Nec tibi turpe putes inter jactare sodales,
    Hauseris à sumpto pocula quanta cibo:
Quodque domum nimia caput ebrietate gravatum,
    Vix fuerint apti nocte referre pedes.
Nec tamen impunes alios abiisse, sed omnes
    In tua dic victas jura dedisse manus,
Victorique tibi palmam cessisse bibendi,
    Quid dubitas? magnum laus ea pondus habet.
13. Aut media surgens somno jam luce, vel antè,
    Mox tibi quod comedas quærito, quodque bibas.
Ante tamen vinum potabis cautus adustum,
    Inde fugit capitis, diluiturque dolor.
Hoc poto, sumptoque cibo, requiesce parumper,
    Prandia dum conjux sedula lauta paret.
Tunc tibi de grata surgendi erit hora quiete,
    Ut recrees sumpta corpus inane dape.
Appositisque tibi dapibus, Benedicite, conjunx,
    Fœminei moris quod solet esse, leget.
Quamque insanus heri fueris, quam mentis egenus,
    Quàm non constiterint linguaque mensque tibi.
Quàm mala sis illi, quàm detestanda locutus,
    Texet prolixam forsitan historiam.
Hoc à te fractum quoque commemorabit, & illud,
    Illa futura satis concio longa tibi est.
14. Cùm te res tandem tales audire pigebit,
    Talia ne pergat dicere verba, jube.
Si paret, satis est: at si parere recusat,
    Et perget gestas res memorare tuas;
Corripe mox quæcunque tibi furor arma ministrat,
    Iliaque in uxoris mitte vibrata caput.

Illa procul dubio præstare silentia discet,
  Nec tibi erit rixis inde molesta suis.
Plura ego te, si non fieret mora longa, docerem,
  Sed puto quòd per te multa videre queas.
Nostra tibi exemplum saltem generale figurant
  Carmina, nec studium scribere cuncta fuit.
Ipse tibi finges exempla salubria morum
  Plurima, simplicibus non reprobanda viris.

CAP. IX.

Quomodo convivæ abs te invitati excipiendi, tractandi, & denique dimittendi.

TU quoque convivas aliquos quandoque vocato,
  Ne videare tuæ sordidus esse domi.
Neve tibi possint odiosè dicere, semper
  Alterius siccas pocula, nemo tua.
1. Quosque tui invitas causa simulator honoris,
  Ut veniant, nimium velle rogare cave.
Interea securus abi, nil anxius ullo
  Nomine, nec quenquam velle venire puta.
2. Tum siqui venient, quos non speraveris, illos
  Protinus hoc jubeas rursus abire modo:
Fortassis verum est à me vos esse vocatos,
  Attamen id certo non scio: potus eram.
Pocula si vobis inter sum pauca locutus,
  Scribenda in liquido nonne fuere mero?
Qui memor est nimium compotor displicet, atque
  Dicto joco nullum pondus habere decet.
3. Vel sic excuses, ut honoris verba fuisse
  Illa, nec ex animo dicta fuisse, probes.
Vtilis hæc vulgo sententia fertur, honoris
  Verba sub integro judice nulla ligant.
4. Vel male conveniens tempus dic esse, quòd ægro
  Corpore, vix etiam languida membra trahas.
Pocula me nimio torquent hesterna dolore,
  Quæ cerebrum fumis involuëre meum.
5. Omnis in uxorem poterit quoque culpa reponi,
  Quæ miserum juris te vetet esse tui.

Ergo abeant, & te præsens in tempus omittant,
Atque velint alio tempore adesse, roga.
Nec tamen id semper facies, aliquando receptis,
Quos invitaras, fercula pauca dabis.
6 Illa tamen nimio ne forte paraveris ære,
Res siquidem damno non caret illa, cave.
Cur facias ullos aliorum nomine sumptus?
Qui tibi quid cupiat reddere rarus erit.
7 At si sponte sua cœnandi tempore nondum
Adfuerint, nemo vocandus erit.
Per famulum quenquam multumque diuque roga-
Ut tandem oratus sæpe venire velit? (res,
Non placet ut tanto quenquam digneris honore,
Et modo consilii causa sit illa mei.
Qui venit oratus, sibi vult ut gratia cedat
Magna, quod ad sordes venerit ille tuas.
Officiumq; ingens tibi vult præstare videri;
Gratia sic facti parva futura tui est.
8 Nec quenquam expectes qui justo tempore adesse
Negligit, emaneat tempus in omne licet.
Tu citus ad mensam te cum sonat hora locabis,
Quodque tibi conjux sedula coxit, edes.
Serius adveniens sedeat male, vel male cœnet,
Et fieri summo talia jure sciat.
Cur etenim certo fatuus neglexit adesse
Tempore? quod damnum fecit, id ipse feret.
9 Vel conclude fores, præscripta ubi transiit hora,
Ne serus veniens introiisse queat.
Clausaque pulsanti reseretur janua nulli,
Exclusus poterit rursus abire domum.
10 Ast intromissis nec aquam manus unde lavetur,
Nec quibus insideant scamna parata dabis.
Credibile est lavisse domi, & sedisse, prius quam
Tecta foret tuguri tempus adire tui.
11 Verre pavimentum, cunctos ubi cernis adesse;
Ne non purgatum forsitan esse putent.
12 Denique quicquid erat convivia ad illa parandum,
Tempore quo cunctos cernis adesse para.
Non de convivis tibi cura sit ulla locandis,
Sed jubeas sedes ut sibi quisque legant.

Atque

Atque ita nil fuerit de te quod jure queratur,
Qui putat indignum se tenuisse locum.
13 Fercula quæ ponis ne non sint grata vocatis
Hospitibus, magnis laudibus illa vehas:
Commemores quanto pretio sint empta, vel unde
Et quanto veniant illa labore tibi,
Qualiter & quantas sint omnia cocta per artes,
Magnifica solers singula voce refer.
Quoque magis laudes, & sis acceptior, adde,
Vix alium tali posse parare modo.
Gratior hospitibus gustuque suavior esca,
Laudibus his abs te quæ celebratur, erit.
14 Nec tamen ut carpant epulas hortaberis ullos:
Qui sensere famem nil monitoris egent.
Qui nihil esuriunt, illos hortabere frustra,
Plenus enim venter fercula nulla capit.
15 Nec præpone dapes aliis, satis esse superque
Iudico, te exemplo quemque monere tuo.
Largiter ipse vora, dentesque intende labori,
Hæc reprimit sævam sola medela famem.
Qui nihil hac ut edant ipsi ratione moventur,
Hos vacuo semper ventre sedere sine.
16 Si tamē est animus quicquam præponere cuiquā,
Non temere id, stultus ne videaris, ages.
Quæ dare vis aliis degusta providus antè
Quam tibi dilecto porrigis illa viro.
Hoc potes ignotum deprendere more saporem,
An bonus in danda parte sit anne malus.
17 Nil opus est quadras adferre subinde recentes,
Quando novi veniunt fercula missa cibi.
Quas habuere prius vertant, aut denique tergant
Mappa, quæ mensam non nimis alba tegit.
Cur nimio famulam patiare labore gravari,
Quo lavet infectas illa subinde quadras?
18 Cum saturi fuerint, mensæq; epulæq; remotæ,
Fortiter ut potent fortia vina, jube.
Si nimis esse tibi segnes tardique videntur,
Fortiter in segnes utere jure tuo,
Coge vel invitos ut inania pocula vertant,
Tu quoque qui vertat pocula primus e is

Ebrius hinc cuicunque voles intendito litem,
Magnaque Stentorea jurgia voce move.
Et bene pulsatos Lapitharum more bibones,
Si mala reddiderint verba, remitte domum.
Namque tuæ concessa domi est tibi summa potestas,
Et tibi quod visum est cunque, patrare licet.
Non equidem credo mox ad te velle reverti,
Qui semel incursum sustinuere tuum.
19. Si tamen ipse tibi metuens pulsare vereris,
Quos numero & manibus vincere posse vides,
Scommata convivas in quoslibet aspera mittas,
Et tacitum lingua virus habente petes.
20. Sique tuis sentis offendi moribus ullos,
Hos exire tua coge repente domo.
Cur etenim tristi turbent convivia vultu,
Qui nequeunt hilari fronte videre jocos?
21. Cum reliquis vives genialiter atque benigne,
Sobrius at ne quis possit abire, vide.
Atque fores forti munitas obice claude;
Et famulum, clausas qui tibi servet, habe.
Emittes nullum, quamvis sit maxima causa
Emitti cur se postulet ille foras.
Hoc reor efficies parvo facilique labore,
Ne libeat cuiquam sæpe redire tibi.
22. Matula sub mensam ponatur maxima, in illam
Quicquid opus fuerit reddere quisque potest.
Exonerent in eam, si res ita postulet, alvum:
Gratus erit teneris naribus inde vapor.
Cumque per effractam fuerint effusa fenestram,
Quæ tenuit fundo matula plena suo,
Vina tua ex illa potent infusa sodales;
Hos aliquis lætos dixerit esse viros.
23. Atque ita per totam noctem potate sedentes,
Ut cubitum tali tempore nullus eat.
Lucifer oceanum surgens ubi liquerat altum,
Tunc discessuris pande repente fores.
Ire domum melius poterunt tunc absque lucerna,
Cum præbere facem cœperit orta dies.
24. Per lucem dormi cum cætera turba laborat,
Sub noctem victo vina sopore petas.

Sic ubi divitiis alii partisque fruentur,
Tu mendicantûm de grege frater eris.
Quid tibi cum curis & sollicitudine Pluti?
Unica sit laute vivere cura tibi.
Attenuat fragiles hominum labor improbus artus,
Et misera curæ pectora clade premunt.
Nec tamen attingunt finem sudore petitum,
Qui nimias avida mente sequuntur opes.
Dii faciant habeam quod vitæ postulat usus,
Curaque de reliquo non erit ulla mihi:
Divitiæ, & magni quos vulgus quærit honores,
Exitio dominis sæpe fuere suis.
Qui sapis ergo, tuis, donec potes, utere rebus,
Atque tuum corpus suaviter inde fove.

FINIS LIBRI SECUNDI.

LIBER TERTIUS.

CAP. I.

De ordine hujus libri, moribus in honeſto convivio, edendis offis & cancris.



Uæ tibi ſcripta dedi libris præcepta duobꝰ
 Hactenus, ingenio nil nocitura rudi,
Temporibus certis legiq; aſtricta videri,
 Nec ſatis eſſe loco cuilibet apta, queant.
Nunc igitur tandē metis egreſſus iniquis,
 Æquora per vento liberiore ferar.
Huc ades ô Bingi, Phœbo gratiſſime Bingi,
 Auſpice quo populis iſta legenda damus.
Huc ades, & mecum bonus hunc decurre laborem,
 Tu mihi Pegaſii numinis inſtar habes.
Tu potes & vento mea tendere vela ſecundo,
 O ſaltem ingenio perge favere meo.
Hoc ego pauca loco præcepta prioribus addam,
 Simplicibus quæ ſint non fugienda viris.
Sed mihi ſervandi ratio jam non erit ulla
 Ordinis, ad leges nil facit ille meas.
Singula quo cæcus dabit impetus ordine dicam,
 Quæ ſupra longum commemorare fuit.
Præbe iterum cupidas monitis ſapientibus aures,
 Quiſquis es antiquæ ſimplicitatis amans.
Accipe degendæ quæ norma ſit optima vitæ,
 Non nimis hac fieri doctus in arte potes.
Multa etiam morum præſcripta exempla videbis,
 Quæ brevis hic ſummo fine libellus habet.
Omnia te poterunt rudiorem reddere, ſi vis
 Omnia non animo deficiente ſequi.
1 Non eadem tamen eſſe ætatibus apta quibuſvis
 Arbitror, arbitrio diſpice cuncta tuo,
Quæ tibi convenient, hinc, cum res poſcet, & illinc
 Accipiens, apta moribus ipſe tuis.
Nilque tua referre putes, quo nomine, quas ſint
 Præſcripta ob cauſas ſingula, quove loco.

Quicquid

Quicquid erit quod posse tuis prodesse putabis
Moribus, ad vitæ commoda flecte tuæ.
2 Nil opus est alio cui subjiciare magistro:
Te sequere, & parvo tempore doctor eris.
Iudicio stes ipse tuo, quia crimine ab omni
Excusatus eris simplicitate tua.
Quisquis ad alterius placitum vult vivere demens,
Est miser, & vitæ nescius ipse suæ.
3 Forsitan ad cœnam venies novus hospes eandem,
Cum claris magnæ laudis honore viris;
Iamque paratus erit locus in quo fercula sumas,
Lautaque propositis mensa onerata cibis:
Nulla sit ullius reverentia, non pudor ullus,
Crassus es, & loquitor quæ tibi cunque placent.
Protinus & vanum de pectore pone timorem,
Carpe cibos, avida pocula sume manu.
Cœlicaque argutis pulsa clamoribus astra,
Quodque tibi pulchrum cunque videtur age,
Scilicet ad mensas, interque calentia nullum
Vina verecundis moribus esse decet.
4. Inde ubi sermones alii conferre benignos
Suaviter, & lætis mentibus esse volent:
Incipe de gravibus graviter contendere rebus,
Magnaque sublata prælia voce move.
Hæc tibi magnificum res conciliabit honorem,
Mox & ob ingenium laude vehere tuum.
Atque aliis sapiens præ mille videberis unus,
Vix alia fieri clarior arte queas.
Sic etenim vino linguam faciente disertam,
Gratia dicenti major inesse solet.
5. Jure coquus pingui perfusas adferet offas,
Quæ poterunt stomacho forte placere tuo:
Arripe quod glabrum cochleare tibi esse videtur,
Iuraque mitte avidam primus in illa manum.
Moxque tuum esuriens offis ita pinguibus imple,
Ut capere ulterius nil cochleare queat.
Quod tibi sufficiat potes uno haurire labore:
Cur opus id demens sæpe iterare velis?
Quæ simul hausisti, simul ingere faucibus, atque
Tende tui buccas oris utrasque cibo.

6. Inde

6. Inde tamen ſalſas minus eſſe ubi ſenſeris offas,
Id potes hac ſolers arte levare malum.
Vel totum appoſito cochleare intinge ſalino,
Cum madidis plenum panibus illud erit.
Vel celerem protende manum, poſitoque timore
Urbanus digitis accipe quinque ſalem.
Namque malum certe quævis habet eſca ſaporem,
Quæ ſale rancorem non patiente caret.
7. Sunt in delitiis cancri: ſi forſan & illos
Apponi menſæ, te comedente, vides:
Exiguos aliis ſine tu teneroſque placere,
Plus ſiquidem magni, quod comedatur, habent.
Non tamen eſſe bonos magnos reputaveris omnes,
Hoc ſignum fallax ſæpius eſſe ſolet.
Ergo bonos melius ne non dignoſcere poſſis,
Hanc tibi, quæ minime regula fallet, habe:
8. Inſpice, ſub cauda quibus ova latere videbis,
Illos ingenuè dixeris eſſe probos.
Hos retinens comedas: ubi ſi non videris ova,
Tunc tibi ſuſpectos protinus eſſe velim.
Suſpectoſque tibi vicino appone ſodali,
Quodque tuo ſtomacho non placet, ille voret.
Vel mox inſpectos in lancem rejice, ut illinc
Arripias alium qui tibi cunque placet.
Nec retine quenquam niſi qui bonus eſſe videtur,
Multaque ſub cauda qui gerit ova ſua.
9. Vtque vores totos ſubito non ſuadeo cancros,
Res nimium longam poſceret illa moram.
Sufficiet medium cancrorum exugere ventrem,
Et quæ ſub tergo teſta repanda tegit.
Interea in menſa volo te ſeponere chelas
Et quæ de trunco cauda revulſa fuit.
Sic ubi jam nulli reliquis in lance ſuperſunt,
Quas comedas chelas ſolus habere potes.
Hac aliis plures unus ratione vorabis,
Conſilium ingenii non rudis illud erit.
Has expectantes ideo dixere, quod illas
Non, niſi cum reliquis nil modo reſtet, edant.
Hoc nuper quendam vidi quoque poſſe, ſed unus
Qui mores illos non bene ferret, erat.
Ille,

Ille, ut erat lepidus, factisque facetus & ore,
Vicino insidias non sine fraude struit.
Seponique ab eo cancrorum brachia cernens,
Protinus extensa corripit illa manu.
Et, quapropter, ait, non vescere partibus illis?
Has ego præcipuas rusticus esse putem.
Non equidem soleo contemnere brachia cancri:
Si tibi non visum est frangere, cede mihi.
Dixit, & extemplo prædam confregit, & edit,
Vicinoque nihil reddidit inde suo.
10. Tutius est igitur loculis imponere peræ.
Vna cum caudis brachia rapta suis.
Sic rapiet nemo, sed tu tibi solus habebis,
Atque domi, & quando cunque libebit, edes.
11. Nec solum cancros sed quæ tibi cunq; placebunt,
Usibus ut serves illa memento tuis.
Si tuus id fieri non approbet invidus hospes,
Munera in aspectum cur ferat illa tuum?
Quis sapiens chari munus contemnat amici,
Quod facilis prompta porriget ille manu?
Nulla meam subeat tam magna superbia mentem,
Quæ jubeat chari spernere dona viri.
Quin potius grato gaudens ego pectore sumam,
Quæ quocunque mihi sumere jure licet.

Cap. II.

De egregiis bibendi rationibus, & de moribus in discessu observandis.

1. SÆpe suis hospes convivis vina propinat,
Qualia de propria vinea vite dedit.
Si minus hæc sentis generoso è palmite nata,
Atque ideo linguæ non placitura tua:
Protinus ingratum tolli tristemque liquorem,
Vinaque proponi nobiliora jube.
Quas etenim grates ulli pro munere dicas,
Si data sint gratis vina bibenda tibi?
Sin volet expensis solvi data pocula nummis,
Vina soluturo cur meliora neget?

An

An tibi quæ magnis ſudoribus æra paraſti,
  Acquiſita malis artibus eſſe putas ?
2. Si tamen ipſe ullos ad prandia forte vocaſti,
  Sive domus ultro tecta adiere tuæ:
Callidus his quæ ſint viliſſima vina propina,
  Quæque nihil grati ſumpta ſaporis habent.
Forſan erunt etiam promi meliora petentes :
  Sed cave, morigerum talibus eſſe nocet.
Quis ſcit an & pretio perſolvere pocula juſto,
  An potius gratis vina bibiſſe velint ?
Magna rei vilis non eſt jactura, poteſque
  Exigui citius vincere damna mali.
Da meliora, bibent nimium ſine fine modoque,
  Tenuia da, cupient quiſque redire domum.
3. Pocula ſi cuiquam ſitiens non parva propinas,
  Quanta ſitim poterant pellere ſumpta bovi.
Ille tibi potans uno reſpondeat hauſtu,
  Ceſſanti requiem non dabis ante viro.
Si negat eſſe ſibi tantas in pocula vires,
  Ut valeat tantos evacuare ſcyphos:
Multa recuſanti pugnando fortius inſta,
  Et poteris voti compos abire tui.
Sin minus, & nullis clamoribus ille movetur,
  Propoſitique tenax manſerit uſque ſui,
Arripe de media ſpumantia pocula menſa,
  Inque recuſantis tota refunde ſinum.
Crede mihi poſthac tali diſcrimine cautus
  Redditus, admonitus non ita durus erit.
His ego me nuper quoque ſum rationibus ultus,
  Sumere vicino vina negante meo.
Et retuli viridem merita pro laude coronam,
  Illa meæ merces ruſticitatis erat.
4. Poſt ubi jam cerebri ſacram conſcenderit arcem,
  Quem genuit vini potio larga, vapor,
Linguaque jam blæſis titubaverit ebria verbis,
  Perdideritque ſuum mens ſuperata locum :
Tempus erit, lætam ridens exporrige frontem,
  Et tua non dubiis gaudia prode notis.
Nec mora, de Samia quæ finxit pocula gleba,
  Qui celerem docta circinat arte rotam:

Aut potius fragili confecta poteria vitro,
Lætifico sitiens arripe plena mero.
Illaque cum vino pariter spumante propina,
Quem responsurum noveris esse, viro.
Poculaque ipsa simul cum vino, attrita vorato
Dentibus, inque avidam merge minuta gulam.
Non equidem humana ratione carentia vidi
Bruta, nec audivi tale patrasse scelus.
Sed tamen (ô mores, ô tempora fœda) quibusdam
Mos placet, & magni nominis, ille, viris.
Tu nihil indignum, nihil illaudabile crede,
Illicitumque tuis moribus esse nihil,
Quæ fecisse alios audiveris, omnia tenta,
Si modò magnificum nomen habere cupis.
5 Si tamen hæc alios immania facta videbis,
Barbarico faciles pectore nolle sequi.
Non volo te cœpta victum desistere causa,
Imo aliud, lætus quo videaris, ages.
Pocula tum lato tibi posce capacia fundo,
Illaque vicino præbibe plena tuo.
Nec tibi dulce puta tantum vulgaribus uti,
Ante tibi sano qui placuere, scyphis.
Vasa tibi mensis prius inconsueta require,
Quæ credes siccam posse rigare gulam.
Malluvium primo vinis undantibus imple,
Proximus impletum est evacuare labor.
Inde domum vigili totam circumspice cura,
Plurima vasa solet dives habere domus.
Non aberunt illic ollæ, sartago, lebetes,
Non aberunt situlæ, cacabus, urna, cadus.
Invenies illic carchesia, cymbia, & obbas,
Vasaque quæ dominus multa beatus habet.
Quæcunque invenies, cæcis educta latebris
Profer, & ex illis Bacchica vina bibe.
Si nihil est aliud calicis quod præbeat usum,
Excipiat fusum matula fœda merum.
Non tamen inde mihi vinum furiose propines,
Delicias poteris solus habere tuas.
6. Nullus erit potor qui respondere bibendo,
Quod nimium vini sumpserit ante, volet?

Fortiter insulta victis, victoria certe
  Egregia est pulchro parta labore tibi.
Non tamen hac plenum referes ratione triumphum,
  Ni fueris majus fortiter ausus opus.
Sume infundibulum, (piget ah piget illa docere,
  Heu quam barbariem secula nostra ferunt!)
Id super ora loca victorum plena virorum,
  Qui nequeunt propria pocla levare manu.
Vinaque in illorum generosa infunde palatum,
  Ultima Dramatii scena sit illa tui.
7. Denique cum ventrem dapibus recreaveris, atque
  Expleris sumpto viscera laxa mero:
Non ego magnificis grates te dicere verbis,
  Sed jubeo saltem cum libet ire domum.
8. Ante tamen, stomachum bilemq; movere vocanti,
  Quam fugias, ista callidus arte potes.
Multaque de dapibus, deque hospite multa quereris,
  Quod dederit lautos non satis ille cibos.
Insimula promum, quod non bona vina bibenti
  Prompserit, aut aliud quicquid habere potes.
Austero placuisse tibi nihil innue vultu,
  Et fictas ire præfer in ore notas.
Dic: Ego tractatum multo me lautius iri
  Credideram, sed cur spes mea falsa fuit?
Nonne fuit satius nunquam venisse vocatum,
  Si me splendidius non habiturus eras?
Cuncta joco quamvis fingas, tamen illa severa,
  Ceu verissima sint, omnia fronte refer.
Sic rapida frustra commotum bile relinque,
  Atque domum gestis tam bene rebus abi.
9. Verum ubi postridie rursum conveneris ipsum,
  Sit labor iratum conciliare virum.
Imo potes lepidis etiam bene ludere verbis,
  Et facinus risu purificare tuum.
Objice quod tanta sine causa exarserit ira,
  Omniaque illa jocum dicta fuisse proba.
Quid faciet? neque enim poterit damnare jocatum,
  Si modo non nimium barbarus esse volet.
Et tibi mox illa rursum placabitur hora,
  Atque quod ante fuit, summus amicus erit.

Forſan & ad cœnæ te fercula grata vocabit,
Protinus ingenii captus amore tui.

Cap. III.

De ſcommatis ſpargendis & ferendis, crepitu, ſcreatu, reſponſione ad interrogata, & inſpectione alienarum literarum.

1. SUnt quibus hæc animi videatur ſumma voluptas,
Scommata mordaci ſpargere ſalſa joco.
Ergo ſolent dictis aliorum carpere mores,
Se lepidoſque illis artibus eſſe putant.
Non equidem, ſi quis naſo ſuſpendat acuto
Vicinos, ideo vituperare velim.
2. Te tamen admoneam, ſi quis te ludere verbis
Incipiat, vultu ne patiente feras.
Prode tuam ſignis minime fallentibus iram,
Crede mihi iratum ludere nemo volet.
3. Si nihil ira juvat, nec adhuc tibi parcitur, illa
Vexanti ut referas verba paratus habe:
Cum genitor ſtultum meus olim vellet habere,
Quo tereret longæ tædia lenta moræ:
Me ſibi gignebat natum, curaſque dolenti
Diſcutere, & fatui juſſit obire vicem.
Tu quoque ſi verbis tanta eſt vexare voluptas,
Qui tua ferre queant ſcommata, gigne tibi.
Talia vociferans, vexantûm verba retundes,
Atque ab eis alio tempore tutus eris.
4. Si tamen expoſitis te quiſquam ludere nummis
Cœperit, haud ægrè te decet illa pati.
Accipe quicquid erit, nil rejice, qualibet ex re
Proveniens lucri portio grata venit.
5. Tu tamen hanc aliis quoque diſce docentibus artem
Vt bene pro verbis reddere verba queas.
Quoſque tibi facto ſociabis fœdere fratres,
Non bene vexatos nullus abire ſines.
Pollicitis cupidas lactabis inanibus aures,
Multaque de rebus vana loquêre tuis.
Nec tamen uſque adeo ſimplex evaſeris unquam,
Vt tibi ſit cordi ſolvere velle fidem.

Regibus

Regibus adſimilis promittens multa fuiſti?
Solvere promiſſum, eſt deſipientis opus.
Si tamen in gravibus libuit tibi fallere rebus,
Non ſcelus id noſtro carmine doctus eras.
6. Quando tibi ſedes homines datur inter honeſtos,
Fœmineumve tegis virgineumve latus:
Ventris onus tacitos ſine clam prorumpere ventos,
Mox hominum nares ille ſubibit odor.
Protinus ut culpæ ne ſuſpicione graveris,
Quis novus, exclama, fœtor? & unde venit?
Inſimula teneras ſublata voce puellas,
Oraque mox calidi plena ruboris erunt.
Iſta ſolent crimen comitari ſigna fatentes,
Ingenuuſque reas arguit eſſe pudor.
Vel baculo parvum, ſi præſto eſt, pelle catellum,
Suffitus culpam peſtiferi ille ferat.
Sic tibi fama tui plene conſtabit honoris,
Quaſque alii pœnas non meruêre luent.
Et ſimul ingratum nares patientur odorem,
Illius ignotus ſed tamen auctor eris.
7. Sæpe etiã illapſus gravis eſt pulmonibus humor,
Crapula quem potuit gignere ſive gelu.
Hunc homines aliqui quando eduxere ſcreantes,
Jamque ſuper linguam plurimus ille jacet,
Turpiter impuro prius ore diuque volutant,
Quam ſpuere, & fœdo pure carere, velint,
Quos tamen accipiant ex illo neſcio fructus,
Sed mire factum tale decere ſcio.
Et ſcio quod multis moveatur nauſea, & illa
Sufficiens ratio cur imiteris erit.
Me quoque ſi facias illud præſente, profecto,
Res mihi nulla quidem gratior eſſe queat.
Os tamen ut ſemper, votis ardentibus optem,
Impuro plenum ſit tibi pure tuum.
8. A genitore aliquid dominove rogaberis inter,
Sive alius, qui te plurima quærat, erit:
Non niſi poſt longo reſponde tempore, quando
Terque parens inter, terque rogarit herus.
Tum velut ex alto revocatus denique ſomno,
Sed vix propoſito congrua verba refer.

Qui cito reſpondet, neque recte expenderit ante
  Omnia, deſipiens eſſe putatur homo.
9 Aut ubi de certis animus fert paucula rebus
  Dicere, quid deceat te meminiſſe velim.
Non volo ſimpliciter, nimium breviterq; loquaris,
  Copia verborum plenior apta tibi.
Ne non Rhetorica videaris in arte peritus,
  De nihili rebus te volo multa loqui.
Principio prolixo, ambagibus utere longis,
  His auditor enim conciliandus erit.
Sì nihil eſt apte pro re quod dicere poſſis,
  Nil refert, quamvis accipe materiam.
Romanas acies, partoſque labore triumphos
  Commemora, & priſcos nomina clara viros,
Hannibalis pugnas & Punica prælia narra,
  Vel quo ſint olim Pergama capta dolo.
Cœlica vel longis ſermonibus aſtra recenſe,
  Et mundi & rerum quæ ſit origo, refer.
His patulas poſtquam dictis calfeceris aures,
  Rem tibi nunc ipſam dicere tempus erit.
Auſus erit ſi quis te interpellare loquentem,
  Audiat is linguæ jurgia multa tuæ.
Nil pudet, exclames, ô morum ignare bonorum?
  Nil pudet? & magnos ſic venerare viros?
Dic ubi, qui tandem ſic te docuere Magiſtri,
  Ut rumpas nugis verba aliena tuis?
Hac tibi non parvos ratione parabis honores,
  Gloriaque hoc pacto magna futura tua eſt.
10. Si quis erit miſſas ſibi qui legat ore tabellas,
  Quæque legit non vult omnibus eſſe palam:
Tum quocunque modo clam te conjunge legenti.
  Sique potes, tacita tu quoque mente lege.
Fecit idem quondam dilectus Ephæſtio regi,
  Qui Macedûm magno pectore rexit opes.
Nec tamen ille ſuo, licet omnia legerat unà,
  Propterea charus deſiit eſſe duci.
Nec puto quod quiſquam vitio tibi vertere poſſit,
  Quod ſint lecta oculis ſcripta aliena tuis.
Eſſe ſcelus multi crimenque immane putarunt,
  Non ego tam duri nominis auctor ero.

Et video certe clarorum exempla virorum,
Crimine quæ factum tale carere probant.
Nonne vir eximius, patriæque insignis amator
Tullius Ausonia consul in urbe fuit?
Ille suis certe non paucula scripsit amicis,
Quæ divulgari non decuisse putes.
Attamen illius nullo prohibente leguntur
Litterulæ, & nullus qui stomachetur adest,
Et cur quę nostro scribuntur tempore, eodem
Non licet pacto scripta minora legi?

CAP, IV.

Quomodo te geras alienas ædes aut hypocaustum ingrediens. De versicoloribus, & dissectis vestibus, ornatu barbæ, usu chartarum & librorum, excipiendis amicis, deque aliis civilitatibus.

1. INvenias adeo quos gloria vexet inanis,
Ut nihil in vita non sapienter agant.
Hi subeunt nunquam noti sibi tecta sodalis,
Quin digitis pulsent leniter ante fores.
Et pateant cunctis licet ingredientibus ædes,
Intrandum subito non tamen esse putant.
Scilicet incautum strepitu placet antè monere,
Ne tectum faciens inveniatur opus.
Hoc bene morati facientes esse videntur,
Forsan & ille aliquid mos rationis habet.
Tu tamen antiquum fortè accessurus amicum,
Compositis nimium moribus esse cave.
Irrue sed potius qua janua prima patescit,
Ut tibi amicitiæ nomine cuncta licent.
Forsitan invenies quod cerni nolit agentem,
Si tacitus patulas ingrediêre fores.
Id tibi materiam risus dabit, inde jocique,
Scilicet & fueris charior ipse viro.
2. Frigidus in calidum quando venies hypocaustum,
Sive illic notus sive alienus eris,
Protinus ad furnum frigens accurrito, moxque
Calfaciasque manus calfaciasque pedes.

Et pedibus laxam frigentibus exue pellem,
  Qua malè pes contra frigora tutus erat.
Dempta pelle pedes algentes recreet ignis,
  Rectius & citius discutit inde gelu.
3. Si libet exutas caligas appendere ibidem,
  Non veto: nec fructus res habet illa nihil.
Sæpius est tetris infectus odoribus aër,
  Tum cerebri crasin turbat iniquus odor.
At nova suspensis caligis fragrantia surgens,
  Fœtori veteri non sinet esse locum.
Illaque depulso nares fœtore subibit,
  Qui cerebri cellis ante molestus erat.
Aëris hac vitium corrupti tollitur arte,
  Et novus hic recte temperat illud odor.
4. Displiceas aliis, minimum referre putato,
  Omnibus in mundo nemo placere potest.
Omnibus in mundo cum possit nemo placere,
  Ut nulli placeas cura sit una tibi.
Cur studeas aliis nequicquam velle placere?
  Non satis ingenio res quadrat illa tuo.
Invita nihil est fas attentare Minerva,
  Quodque nequit fieri non voluisse decet.
5. Post ubi de furno te causa recedere coget
  Ardua, consilii percipe verba mei.
Tutus ut à sævæ serveris frigore brumæ,
  'Aque gelu teneros quo tueare pedes:
Imposito laxas distendito stramine pelles,
  Non male subjecto stramine planta calet.
Ni tamen emineat longe, possitque videri,
  Quid pedibus stramen supposuisse juvet?
Proderit exemplum reliquis, quicunque timebunt
  Frigora, nec pauci qui te imitentur erunt.
6. Téne tua quisquam de rusticitate monere
  Ausit, & in mores mittere scomma tuos?
Non ego, si fueris convitia talia passus,
  Te reputem fortis pectus habere viri.
Si nihil est quod agas, & sumere tela vetaris,
  (Dura ego te certe sumere tela velim)
Quid dubitas rabidam prorumpere læsus in iram?
  Hoc tibi si telum desit, inermis eris.

Quiſquis erit verbis abs te repreſſus amaris,
Si qua fides, poſthac non erit ille dicax.
Nuper ego vetui te ſcommata ferre jocoſque,
Seria nunc idem te quoque ferre veto.
7. Quæ tibi ſunt veſtes vario diſtingue colore
Quod varium eſt, oculis gratius eſſe ſolet.
Gaudet enim variis natura coloribus ipſa,
Naturæ dubitas tu documenta ſequi?
Qui duce natura vivit, bene vivit, & illum
Dixerit à recta nullus abeſſe via.
Hanc tibi in hac etiam proponito parte ſequendam,
Illa quid addeceat monſtrat ubique tibi.
Aſpice ſub denſis cœleſtem nubibus arcum,
Diverſo radios ille colore notat.
Aſpice plantarum formas, pennaſque volucrum,
Aſpice quas gemmas India dives habet.
Omnia multiplici cernes variata colore,
Quæ natura parens ingenioſa creat.
In varias partes quoque veſtimenta ſecare
Neſcio quid noſtro tempore laudis habet.
Id vel ut inprimis, ſi quid mea dogmata curas,
Ut facias, iſtis verſibus auctor ero.
Truncus iners, caudex, & vilis habebere vappa,
Ni bene diſſecta femina veſte tegas.
Si verò miſerè partes laceraveris omnes,
Ut nihil integrum corpore penè geras:
Nobilium poteris de poſteritate videri,
Editus, & magni nomen habere viri.
Aut certe pugnax reputabere Martis alumnus,
Turba tegi ſectis veſtibus illa ſolet.
8. Quacunque ingrederis, facies auſtera notetur,
Et tetrico priſcos vince rigore ſophos.
Ridebis nunquam, niſi cum ratis obruta fluctu
Æquoris in mediis merſa reſedit aquis.
Qui te cunque videt, magnarum indagine rerum
Implicitum, curas pectore ferre putent.
Sic tibi quicquid ages, magno tribuetur honori,
Et laudem tanta de gravitate feres.
9. Publica tractantur quandoque negotia, & illic
Conveniunt juvenes, conveniuntque viri.

Tunc aliquis missas excelsa voce tabellas,
  Audiat ut populi concio tota, legit.
Tu quoque non aberis rerum studiose novarum,
  Ad te pertineat res licet illa nihil.
Et, siquidem nihil est quod sit tibi discere gratum,
  Mox aliis dempto fine molestus eris.
Ede aliquos ludos, strepitusque procaciter ede,
  Atque tua totum vincito voce gregem.
Impedias alios, ea sit tibi summa voluptas,
  Ne memori quicquam mente notare queant.
10. Hinc quoque materiam captandæ laudis habebis,
  Si teget obductas hispida barba genas.
Longa sit enascens labio mystacula summo,
  Oris quò rictum totius illa tegat.
Crede mihi, multum tibi res ea conferet usum,
  Consilio nunquam falsus es antè meo.
Forsitan illapsas habeant tua pocula sordes;
  Quo lateant, oculos effugiantque tuos:
Crinibus exceptas illas descendere in alvum
  Cum tibi potando non patiere mero.
Atque per objectam colabis pocula barbam,
  Per tua quò Bacchus purior ora fluat.
Deinde tuos scabra turpes fuligine dentes,
  Sæpe adeo risus dedecorare queat.
Sed tua protectos prohibebit barba videri,
  Pendula de summo quæ tibi nata labro est.
11. De gravibus quando visum tibi dicere rebus;
  Barba tibi laudem conciliare potest.
Hanc digitis graviter propexam in pectora mulce,
  Nec nisi post longam subjice verba moram.
Hæc tibi majestas in magnum cedet honorem,
  Ut gravis & prudens esse feraris homo.
12. Paucula quæ scribis docto missurus amico,
  Quisquis is est, animi nuncia verba tui:
Quid noceat puras atro perfundere chartas?
  Scriptaque diversis permaculare notis?
Qui nimis exacta describit singula cura,
  Nescius est artem dissimulare suam.
Ars lateat: signo quæ si mihi proditur uno,
  Non ero qui scriptis ausit habere fidem.

Imo etiam memori melius quo mente notari,
 Illita quæ chartę verba fuere, queant:
Proderit haud raro variis distinguere signis,
 Et maculis totos condecorare libros.
Illud idem facias quando tibi pauca legentur,
 Sive tuus codex sive alienus erit.
13 Cum tibi longinquis venit hospes amicus ab oris,
 Et subit hospitii limina nota tui:
Illius adventum læto te cernere vultu,
 Si sapis, emissa prodere voce cave.
Nam tibi se gratum si senserit esse, redibit
 Sępius, & damno res erit illa tibi.
Attamen exceptum largo potabis Iaccho,
 Dum potus nomen nesciat ille suum.
Non potes antiquum melius tractare sodalem,
 Qam nimio plenus quod vomat ille mero.
Quando suas tandem remeare parabit ad ædes,
 Forteque jam valido cinxerit ense latus:
Non tibi tum placeat dimittere multa rogantem,
 Eque virum media coge redire via.
Atque vel invitum retine, multumque propina,
 Illud inextincti pignus amoris erit.
14 Quæ deceant lectos gratumque cubile petentem,
 Hoc etiam libro multa docendus eras.
Illa sed exactis si persequar omnia verbis,
 Quis mihi scribenti singula finis erit?
Esse tui similis semperque & ubique memento,
 Regulaque hæc vitæ sufficit una tuæ.
Impedias alios strepitu dormire volentes,
 Quando tibi somno membra levare grave est.
Quóque potes ludens aliis magis esse molestus,
 Hoc potior factis gloria parta venit.
Calceus exempto teneras pede lædere nares,
 Putridus ut tristi fœtet odore, solet.
Ille odor in cerebri penetralia sacra receptus,
 Hei mihi quas turbas, quàm mala multa ciet!
O procul invisam cautus seponito pellem,
 Si sapis, à lecto stet procul illa tuo.
Calceus alterius jaceat tuus ante cubile
 Fœtidus, hoc operam sedulus usque dabis.

Impleat alterius tam grata fragrantia nasum,
  Ne tibi sit magni causa parata mali.
Plura loqui tecum de rusticitate volebam,
  O monitis semper dedita turba meis:
Lumina sed video tua victa sopore gravari,
  Fessaque jam longa membra labare mora.
Eia age jucundo recrea tua corpora somno,
  Et bene deposito sterte diuque metu.
Clarorum interea tibi scribam exempla virorum,
  Quæ tibi sint vitæ regula certa tuæ.
Hinc potes evigilans quæcunque decere putabis
  Sumere, ne frustra scripta fuisse querar.
Nec, reor, hoc ullum facinus tibi carmine prodam,
  Utile quod nequeat moribus esse tuis.

Cap. V.

Aliquot exempla commemorat civilitatum in mensa.

1. NUper erat juvenis peregrè conviva vocatus.
  (Nupserat ingenuo pulchra puella viro)
Induit ergo pedes laxis peronibus, illi
  Sordibus immundi (quid nocet illud?) erant.
Aptat item plantæ tinctum ferrugine calcar,
  Quò citius tardum currere cogat equum.
Et tamen hospitii serus defertur ad ædes,
  Nam sonipes uno poplite claudus erat.
Ut venit, ecce dapes cunctas videt esse paratas,
  Convivamque suo quenque sedere loco.
Festinans igitur calcaria demere plantis,
  Et pedibus pelles, immemor ille fuit.
Cumque suis ocreis ad mensam accurrit, & ecce
  Virgo assessuro cedit honesta locum.
Ad latus ingenuæ sic proximus ille puellæ
  Considet, haud talem dignus habere locum.
Protinus offertur pinguis gallina sedenti,
  Quam juvenis docta dissecet ille manu.
Non bene erat certa versatus in arte secandi,
  Nec quid agat certum, nec quid omittat, habet.
Audet, & acceptæ geminas cum cruribus alas
  Desecat, à quadra ne revolare queat,

Præpositurus erat truncum tibi candida virgo,
Hei mihi, sub mensam trunca cadedat avis.
Ille rubens ignominia, se incurvat ut illam
Quærat, & è dura tollere possit humo.
Tum miser ingentem crepitum perterritus edit:
Ut nimium toto corpore curvus erat.
Oraque non parvo confusus honesta pudore,
Posthabitis epulis aufugiturus erat.
Ferrea sed mensæ prendunt calcaria mappam,
Atque illam secum quâ fugit ille trahunt.
Pocula nonne putas illum evertisse dapesque,
Quæque dabant mensæ lumina clara faces?
Mensa etiam juveni fugienti obstabat ibidem,
Multa tenens vario vitra parata mero.
Hanc quoque, præcipiti dum concitus impete fer-
Vertit, & ad terram pocula fracta cadunt. (tur,
Obvius in mediis foribus tum forte minister,
Qui ferat in mensam fercula grata, venit.
Ut ruit hic cursu furioso, impingit in illum,
Et facit effundi quas tulit ille dapes.
Hoc auctus claudum conscendit honore caballum,
Et repetit patriæ limina nota suæ.
Sed licet hinc specimen vitæ sit sumere promptum,
Quæque tibi prosint discere multa queas:
Non tamen hunc juvenem numerare in agrestibus
Ut magis infelix quam rudis ille fuit. (ausim,
2. Contigit hinc alio quoque tempore, ut hospes a-
Symposium charis forte celebre daret. (micis
Hic quoque convivis digestis ordine, sedit
Nobilis urbano fœmina juncta viro.
Ille caput piscis, Carpam dixere Cupedes,
Matronæ digna cum gravitate dedit.
Illa datam retinet quasi sit dignissima partem,
Et decerpta ab ea quæ placuere vorat.
Scrutari totum caput, & discerpere frustim
Negligit, id forsan non ita docta fuit.
Et nimius labor est ex arte resolvere cuncta,
Et pretium tanti vile laboris habet.
Ergo sub mensam totum caput abjicit illa,
Ut rapidi carpant dilacerentque canes.

Ille suæ tantam vicinæ simplicitatem
Conspiciens, æquo pectore ferre nequit.
Sed caput abjectum de terra tollit, & inde
Ad dominam verbis acribus usus ait:
Non pudet ô mulier facinus committere tantum?
Non ita simplicibus moribus esse pudet?
Hoc caput appositum magni tibi nomine honoris,
Non ut sub mensam projiceretur, erat.
Si tibi non libuit frustim discerpere, nobis
Reddendum nostra pro pietate fuit.
Reddidit illa nihil, tantum confusa pudore,
Condidit in tacito lumen utrunque sinu.
Dic uter urbanus fuerit magis, éque duobus
Utrum laude vehas vituperesve, refer.
3. Magnifica illustris quandoq; ad prandia princeps
Nominis à clari cive vocatus erat;
Vadit, & excipitur veniens regalibus escis,
Omnia ceu magni principis aula nitent.
Carnibus appositis, pisces quoque lixa marinos
Adjicit, & varii fercula multa cibi.
Hîc domino civis gratum facturus, utraque
E patinis piscem corripit ipse manu.
Hunc positurus erat generosi in principis orbe,
Sed prius infaustis excidit è digitis.
Excipit è digitis mox crepida nigra cadentem,
Crepida quæ civis texerat alta pedem.
Protinus hinc tollens, in principis orbe reponit,
Verbaque peccato subjicit ista suo.
Sume tamen princeps, quid enim cecidisse noceret?
Nil mea cœnosæ crepida labis habet.
Quid dubitas? famulus purgavit ab omnibus illam
Sordibus, & pedibus subdidit inde meis.
Sic ait, & dominum verbis instantibus urget,
Lætus ut appositas carpat edatque dapes.
4. Forte vir eximiæ magno cum principe famæ,
Sedit ad instructas hospes in arce dapes.
Huic non exiguum princeps habiturus honorem,
Paucula de lauta frustula carne dabat.
Nec mora; porrectam digitis vult prendere partem
Ille vir, & minimum visus agrestis erat.

Sed male dum retinet capiens à principe carnes,
  Protinus in vino pocula plena cadunt.
At miſer ut rapto parat hinc educere cultro,
  Eſt manus officio non ſatis apta ſuo.
Sed tremit, & cyathum plenum jam carne meroque
  Vertit, ut in menſa vina caroque fluant.
Purpureoque viri malæ rubuere colore,
  Illa verecundi ſigna pudoris erant.
Ille quidem ſuperis magis adverſantibus uſus,
  Quam ſtupida ductus ſimplicitate fuit.
Tu tamen hinc morum ſumes exempla bonorum,
  Quæ referens ſimplex eſſe rudiſque queas,
Quæque miſer fecit fortuna falſus iniqua,
  Hæc abs te fieri ſemper & arte velim.
Hoc tua major erit, quam tu arte merebere laudem,
  Quæ veniunt caſu, laude vacare ſolent.
5 Vidi alium cujus culter cum ſcinderet aſſam,
  Noluit officium promptus obire ſuum.
Protinus ille ſua veritus ne parte careret,
  Hac ratione, diu præmeditatus, agit.
Arripit è medio partem quæ maxima diſco,
  Quamque putat ventri poſſe placere ſuo.
Subque ſuo raptam carnem, ſine more, lacerto,
  Firmius ut poſſet continuiſſe, locat.
Inde manu fruſtum robuſta grande revellit,
  Et lacerat digitis viſcera toſta ſuis.
Namque ſuum cultro non efficiente laborem,
  Mox obit illius dextera prompta vicem.
Inde tamen reliquam patinæ non reddere partem
  Negligit, agreſtis ne videatur homo.
Imo aliis etiam carnes præponit eaſdem,
  Suaviter ut reliqui, quæ laceravit, edant.
Nec tamen hoc temere factum me fingere credas;
  Præmia ſunt nugis nulla parata meis.
Nec tu poſſe putes tam barbara ſcribere quenquam,
  Quin faciant ſcriptis facta pudenda fidem.
Turpia lurcones inter quia plura geruntur,
  Quam recitet numeris Pieris ulla ſuis.
6 Cum domino ſervus menſa reſidebat eadem,
  Hoſpes in ignota factus uterque domo.

Et

Et simul eximii capiebant fercula cives,
  Qui caput & domini totius urbis erant.
Dumque diu mensas attingere quisque moratur,
  Et renuit primus carpere quisque dapes:
Quisque suos vultus vicini ad lumina torquet,
  Quod reliquis nemo dignior esse velit.
Iamdudum stomachus servum esuriesque lacessunt,
  Fercula quo rapidas mittat in ipsa manus.
Fas mihi jejuni ventris placare latratus,
  Quos fero jam longo tempore inanis, ait.
Dicit, & è patina quæ pars est optima tollit:
  Inque sua raptam, se locat ante, quadra.
Erubuit dominus peccantis nomine servi,
  Quod rudis, & tanta simplicitate foret.
Signaque dat tacito nequicquam plurima nutu,
  Addit & obscuro paucula verba sono.
Scilicet ut disco raptas modo redderet escas,
  Atque aliis primum cederet ante locum.
Servus ubi domini nutantia lumina vidit,
  Ambiguus nutu quid velit ille sedet.
Iamque bolum pleno magnum volvebat in ore,
  Os simul ingestum vix capiebat onus.
Evomit assumptas igitur male territus escas,
  Hanc domini mentem credidit esse sui.
At domino vultu nutus repetente minaci,
  Ambiguo sensu rursus, ut ante, sedet.
Tum reliquas carnes quas sumpserat ante, sub ipsam
  Corripiens mensam dejicit ille manu.
Quippe videns dominum nutu sibi multa loquentē,
  Et reliquos positis abstinuisse cibis:
Fercula letali putat esse infecta veneno,
  Quæ fuerint subitam sumpta datura necem.
7 Rusticus urbanum convenit amicus amicum,
  Cui prope cognato sanguine junctus erat.
Hospitis adventu civis lætatus, opimas
  Sollicite docta præparat arte dapes.
Vicinosque vocat, pariter quos sumere cœnam,
  Atque animos vinis exhilarare jubet.
Conveniunt, capiuntque locum se quisq; decentem;
  Occupat extremum rusticus ille locum.

Nec mora, de corio cultellum promit acutum,
Ille sed hesterno pane refertus erat.
Vidit, & admovit labiis, sputoque rigavit,
Hac sordes gladii molliit arte sui.
Molliit, abstersit mappa, solitumque nitorem
Reddidit, ad quadram deposuitque suam.
Hospes honoratas multis proponere partes
Incipit, atque cibos carpere quenque jubet.
Protinus in patina tectos pinguedine renes
Rusticus, esurie jam stimulante, videt.
Arripit, arreptos coram se collocat, & mox
Totos adjuncto pane vorare parat.
Aspicit hunc hospes, tacitoque pudore rubescens,
Leniter in risum voce solutus ait:
Redde precor disco raptam modo patrue partem,
Redde, nec ad stomachum congruit illa tuum.
Hancque tibi melius quæ convenit accipe carnem,
Si bene consultum me tibi velle putas.
Rusticus hęc contra: vanas modo ponito curas;
Non soleo hos illis præposuisse cibos.
Quas mihi cunque dapes sors prima objecerit, illas
Objicio duræ pharmaca certa fami.
His quoque nil melius poni mihi partibus optem,
Et bona ventriculo est quælibet esca meo.
Sic ait, & renes cunctis ridentibus, ore
Devorat, & patitur nil tamen inde mali.
8. Cum dominis alius mensa consederat hospes,
Non satis hoc visus dignus honore sibi.
Vnus erat gnarus carnes in frusta secandi,
(Crede mihi non est illud inertis opus)
Ille rapit reliquo vulsos à corpore renes,
Et dat honorato (res decet illa) viro.
Hic tamen hoc tanto se non dignatur honore,
Donaque vicino porrigit ista suo.
Atque ita jam multi sibi proposuere vicissim,
Qui renes vellet mandere nullus erat.
Hospitis ad quadram tandem venere, sed ille
Non putat hæc aliquo dona carere dolo.
Et mihi cur placeat si displicet omnibus? inquit.
Cur ego, quæ cuncti damna timetis, amem?

Dixit,

Dixit, & iratus medias projecit in ædes,
Ut canibus rapidis præda petita foret.
9. Acta cano, veniam da turpiter acta canenti,
Fas mihi ſit craſſo craſſa referre modo.
Vir generoſus erat, claraque propagine natus,
Conſilio nomen judicioque premo.
Ille ſuis meruit comitumque ducumque favorem
Moribus, & geſtu ridiculiſque jocis.
Ingenium propter ludi ad genus omne paratum,
Principibus gratus cœperat eſſe viris.
Cuncta igitur quando ſua ſeque placere videbat,
Omnia quæ riſum promereantur agit.
Denique jam mediam juſſus conſcendere menſam,
In medio poſita mox ſtetit ille mora.
Sollicite ſpectant omnes, quos edere ludos,
Quæ joca, quo riſu ſpargere digna velit.
Ille diu tacitus cunctis ſpectantibus aſtat,
Quodque erat orſurus præmeditatur opus.
Detectis natibus tandem, poſitoque pudore,
Egerit impuri ſtercora ventris onus.
Exoritur plauſus manuum, riſuſque videntum,
Non alio poterat gratior eſſe modo.
Mille igitur meritus retulit pro munere nummos,
Poſthabiti merces illa pudoris erat.
I nunc, & vitæ nimium ſtudioſus honeſtæ,
Præmia barbaricis moribus eſſe, nega.

CAP. VI.

Alia exempla civilitatum in evacuatione veſicæ, vomitu, & aliis morum elegantiis.

1. IMproba cœnantes urina potentius urget,
Nectitur appoſitis cum mora longa cibis.
Tunc aliqui longo (tanta eſt reverentia multis)
Tempore veſicæ triſte morantur onus.
Heu fatui qui non rationem habuere ſalutis,
Sed cumulant culpa damna pudenda ſua.
Tu potius ſtultum ſapiens depone pudorem,
Et potior vitæ ſit tibi cura tuæ.

Surge vel in medio protractę tempore cœnæ,
  Rupturasque uterum dejice tutus aquas.
Sique tibi quisquam surgenti improvidus obstat,
  Surgere, quantumvis sit gravis ille, jube.
2 Aut residens clausos ventris reclude meatus,
  Noxiaque urinæ quolibet unda fluat.
Ah valeant rigidi nimium, nimiumque severi,
  Rusticitas per quos optima crimen habet.
Quæ facis exemplo, juste fecisse videris,
  Nec tu qui faciat talia primus eris.
3 Nuper ad illustres epulas lætumque vocatus
  Symposium juvenis, non male natus, erat.
Omnia regali jam stabant splendida luxu,
  Iamque erat Ambrosiis mensa parata cibis.
Ordine quisque suo se fœmina virque locarant,
  Sumere propositas fercula grata dapes.
Vix ab equo juvenis properans descenderat alto,
  Iussus honoratum cum capit ille locum.
Nec datur exutas spacium deponat ut ocreas
  Aut quas urentes venter habebat aquas.
Sic latus ad pulchræ sedit juvenile puellæ,
  Cunctaque jam recte lætus habere putat.
Sed miser (ut nihil est ex omni parte beatum)
  Ah piget, exiguo tempore lætus erat.
Mox etenim sitiens ut largius improba sumpsit
  Pocula, vesicam triste gravabat onus.
Nec tamen infelix audebat surgere mensa,
  Tanta verecundi cura pudoris erat.
Ergo diu secum sub pectore multa volutans,
  Cogitat hoc ingens qua levet arte malum.
Tandem igitur curis crescentibus, arripit audax
  Consilium, quod ei resque locusque dabant.
Ocrea laxa femur juvenile tegebat, in illam
  Nescio quid tacita dirigit ille manu.
Atque ita sub mensa manus officiosa moratur,
  Dissimulans operis facta pudenda sui.
Donec onus madidi grave duceret ocrea ventris,
  Quod rapide emissum more fluebat aquæ.
Interea lateri quæ sedit proxima virgo
  Aspicit, & lętis vultibus esse jubet.

Inde

Inde manum juvenis, tantarum nescia rerum,
  Arripit, & quid adhuc tristia volvis? ait.
Protinus è latebris exterritus ille sinistram
  Protulit, heu secum quid tulit illa mali?
O aliô castæ divertite lumina Nymphæ,
  Ne violent oculos turpia visa pios.
Infelix juvenis mediæ super æquora mensæ,
  Turpiter emissas ejaculatur aquas.
Non secus ac saliunt actæ siphonibus undæ,
  Stramineas flamma depopulante domos.
Heu miser infausto petiit convivia cœlo,
  Nec positus felix ætheris ille fuit.
Atque ita non parvo derisus tempore sedit,
  Mœstaque in adversa lumina fixit humo.
Inde mero tantas pellente è pectore curas,
  Tandem animi posito vix rediere metu.
Nec mora, lætitiam vino *faciente, choreas
  Instituunt sumpto fœmina virque cibo.
Tunc juvenis licet invitus, cum virgine pulchra
  Cogitur ad tactam crura movere chelyn.
Ad numeros tellus pedibus pulsata gemiscit,
  Inque sonant tota jubila læta domo.
At quoties saltans juvenis vestigia figit,
  (Laxus erat mictis pero refertus aquis)
Nescio quem toties sonitum ocrea turpiter edens,
  Facta aperit domini dissimulanda sui.
Exoritur totas risusque jocusque per ædes,
  Materiam damno præbuit ille suo.
Protinus ut finem longæ fecere choreæ,
  Consilium tantis quærit opemque malis.
Exuit ingrato pellem liquore fluentem,
  In medio matrum virgineique chori.
Datque suo famulo, famulus suspendit ad ignem,
  Fervidus imbibitas elicit ignis aquas.
Forte locus mediis erat in penetralibus ædis,
  Quo recreant fessi corpora lassa viri,
Huc famulus domini peronem utrumq; ferebat,
  Ad nitidi figens lignea fulcra tori.
Tunc juvenis curas animo deponit inanes,
  Et reliquos inter gaudia lætus agit.

Jamque fere mediam tangebant ſidera noctem,
Poſtque merum ſomnos carpere tempus erat.
Ergo ſui pariter lecti loca quiſque petebant,
Occupat optatus lumina feſſa ſopor.
Unus erat, reliquos inter ſtultiſſimus unus,
Qui nimio impleratt viſcera laxa cibo.
Cumque alii dulcis fruerentur munere ſomni,
Hunc tumidi ventris ſollicitabat onus.
Surgit, & è clauſo greſſus efferre cubili
Tentat, ut hoc damno viſcera plena levet.
Clauſtra ſed incaſſum cameræ reſerare laborat,
Nec patitur longam res peragenda moram.
Protinus ad lectum quod pendeat ocrea ſentit,
Et citus hanc una corripit ille manu.
Duraque cum liquidis in eam quæcunque gravabant
Dejicit, inque ſuum ſe locat inde torum.
Vix rutila primas luſtrabat lampade terras
Phœbus, ab Eoo qui vehit orbe diem.
Et memor heſternæ juvenis jam denique culpæ,
Ire domum propero mane parabat equo.
Cruraque feſtinans ocreis armabat, & ecce
Turpiter humano plena erat una fimo.
Quid faciat? clamet? jocus excitet ille cachinnum,
Ergo tacet, tantum diſſimulatque ſcelus.
O miſer, ô talis fugias convivia cœnæ,
Quam referas non eſt gloria magna domum.
4. Magnus es & magni titulo inſignitus honoris?
Officiumve tua conſul in urbe geris?
Omnibus, ignotas veniens peregrinus ad oras,
Commemora officii nomina tanta tui.
Publica majeſtas per te minuetur, & ordo,
Si, quod es, ignotum turpiter eſſe voles.
Si tamen ut prodas occaſio nulla videtur
Commoda, nec præſto qui roget, ullus erit:
Hîc etiam exemplum, præſens adverte, docebo,
Idque ſequens vitii labe carere potes.
5. Magnus in hoſpitium veniebat nobile Doctor,
Claudere jam lapſum ſole parante diem.
Protinus hîc alii quoque convenere ſodales,
Nec mora diſpoſitis accubuere toris.

Nullus erat tota Doctori notus in æde,
  Nec domino quisquam qui loqueretur erat.
Spretus in extrema scabelli parte sedebat,
  Aspiciens tacito lumine mœstus humum.
Fercula sumebat tristi non grata palato,
  Ipsa quoque ingrati vina saporis erant.
Tantus amor meriti miserum stimulabat honoris,
  Cura fere ut pectus ruperit illa viri.
Ingenium tandem, vino subeunte, calescit,
  Prodit & hac nomen callidus arte suum.
Demit ab intonso, qua tectus, crine tiaram,
  (Officium domino præstet ut illa suo)
Hanc muri appendit suffixum in parte propinqui,
  Verbaque mox clara talia voce sonat:
Et satis indultum tristi reor esse rigori,
  Fas tandem læta fronte sit esse mihi.
Pendeat austerus vicino pariete Doctor,
  Non mibi sunt isto Jura legenda loco.
Ergone Doctoris titulus mea gaudia turbet?
  Lætitiaque frui nomen inane vetet?
Non mihi jam tanti est majestas nominis hujus,
  Sed patriæ repetens mœnia Doctor ero.
Dixerat, at reliqui modo seque virumque tuentes,
  Quid facerent dubii, quid loquerentur, erant.
Doctori simul assurgunt, veniamque precantur,
  Utque velit prima sede sedere rogant.
Inde viro ingentem craterem quisque propinant,
  Redditus hac illi est arte negatus honos.
6. Sic ubi nonnullo fueris decoratus honore,
  Sederit aut humeris publica cura tuis:
Concipe te dignos animoso pectore fastus,
  Egregium meritis nomen adeptus habes.
Cur te contemni stolidus patiaris ab ullo?
  Non ego te fatear, si patiare, virum.
Accidit id magno (pudeat) quandoque Magistro,
  Ferret ut immensum dedecus ille domum.
Ille diu studiis animum exornârat honestis,
  Jamque vir eximius, jamque magister erat.
Ergo novo patrios vult auctus honore penates
  Visere, natalis tactus amore soli.

Jam-

Iamque iter ingressus lucem confecerat unam,
Fessus, & hospitium solĕ cadente subit.
Venit in hospitium virgo quoque nobilis illud,
Virgo verecundis conspicienda genis.
Tempus erat cœnæ, mensaque locantur eadem,
Virgineo lateri proximus ille fuit.
Tum vero incessit non parva superbia mentem:
Turgidior cunctis ille Magister erat.
Præ cunctis voluit quoque dignus honore videri:
Visus, & ut voluit, dignus honore fuit.
Vnus erat, tantos fastus qui ferre Magistri,
Pectore non posset dissimulante diu.
Namque erat ante viro quoq; consuetudine junctus,
Et socium nuper noverat esse suum.
Ergo ut erat technas artemq; instructus ad omnem,
Tentat honoratum dedecorare virum.
Omniaque observat quæcunque agit ille, dolose,
Cura animi, tumidum frangere pectus, erat.
Dumque observari nescit sua facta Magister,
Admovet ah capiti leniter ille manum.
Admotaque manu gestum scalpentis habebat,
Hæc ignominiæ causa reperta fuit.
Tunc etenim raptor tanti insidiosus honoris,
Non expectatos hos dedit ore sonos.
Sextipedes tot adhuc vermes venerande Magister,
(Quot nuper) toto corpore morsus alis?
Dic, nihil unguentum tibi profuit ergo, quod illas
Bestiolas contra pharmacopola dedit?
Ille sua certe perhibetur in arte peritus,
Temperat & docta pharmaca certa manu.
Dixerat hæc vultu tanquam sint vera severo,
Nec risu fictum prodidit esse jocum.
Ora sed immenso confusus honesta pudore,
Mutus ad hæc subito verba Magister erat.
Ira pudorque animum sic infregere tumentem,
Straveruntque adeo nobile pectus humi:
Vt neque se verbo saltem defenderit uno,
Nec delusorem plecteret ille suum.
7. Ille sit exemplo tibi, ne patiaris eadem
Impune à quoquam te ratione capi.

Sique vides alium, digno quem vulgus honore
Afficit, & primas semper habere jubet :
Illius ut minuas nomenque decusque labora,
Crescere vix alia tu ratione queas.
8. Nobilibus junctus dominis auriga sedebat,
Sumere cum tantis vina cibosque viris.
Vina simul cunctis cratere bibuntur eodem,
Ordine per varias circuit ille manus.
Circuit, inque manus aurigæ pervenit, ille
Hinc quoque, sed terso non prius ore, bibit.
Sic igitur multa reliquum pinguedine vinum
Inficit, in labiis hæserat illa viri.
Res ea displicuit multis, sed nullus aperta
Sustinet auctorem, carpere voce, mali.
In sua sed duram statuunt convivia legem,
Qua caveant tantum præveniantque scelus.
Sordibus hæc ullis qui vina infecerit, unus
Symbola pro cunctis solvito symposii.
Rusticus hanc legem contra sua crimina ferri
Sentit, & hoc pœnam suffugit inde modo.
Quando calix ad eum justo venit ordine, totum
Ebibit, ebibiti vertit ad astra pedem.
Atque ita conversum dominis ostendit, & inquit,
Iamne ego me culpam non meruisse putem ?
Ecquid adhuc aliquæ sordes superesse videntur ?
Cuncta equidem cyatho quæ latuere tuli.
Artibus his utens auriga impunis abivit,
Hoc erat ingenii multa videntis opus.
9. Missus erat patriæ communis nomine Consul,
Paupere ad eximium nuper ab urbe ducem.
Paucula qui domino donaret vina, nec ille
Immemor innatæ simplicitatis erat.
Principis ut vultum coram conspexit & ora,
Membra viri gelido diriguere metu.
Astitit, & verbum profari nescius hæsit,
Qualiter ad visum contremit agna lupum.
Tum dominus (trepidare virum quia sensit) amico
Alloquio, forti es pectore consul, ait.
Protinus erectus Consul sua pilea demit
Crinibus, & digitis illa, diuque rotat.

Jamque fere mediam tangebant ſidera noctem,
Poſtque merum ſomnos carpere tempus erat.
Ergo ſui pariter lecti loca quiſque petebant,
Occupat optatus lumina feſſa ſopor.
Unus erat, reliquos inter ſtultiſſimus unus,
Qui nimio impleràt viſcera laxa cibo.
Cumque alii dulcis fruerentur munere ſomni,
Hunc tumidi ventris ſollicitabat onus.
Surgit, & è clauſo greſſus efferre cubili
Tentat, ut hoc damno viſcera plena levet.
Clauſtra ſed incaſſum cameræ reſerare laborat,
Nec patitur longam res peragenda moram.
Protinus ad lectum quod pendeat ocrea ſentit,
Et citus hanc una corripit ille manu.
Duraque cum liquidis in eam quæcunque gravabant
Dejicit, inque ſuum ſe locat inde torum.
Vix rutila primas luſtrabat lampade terras
Phœbus, ab Eoo qui vehit orbe diem.
Et memor heſternæ juvenis jam denique culpæ,
Ire domum propero mane parabat equo.
Cruraque feſtinans ocreis armabat, & ecce
Turpiter humano plena erat una fimo.
Quid faciat? clamet? jocus excitet ille cachinnum,
Ergo tacet, tantum diſſimulatque ſcelus.
O miſer, ô talis fugias convivia cœnæ,
Quam referas non eſt gloria magna domum.
4. Magnus es & magni titulo inſignitus honoris?
Officiumve tua conſul in urbe geris?
Omnibus, ignotas veniens peregrinus ad oras,
Commemora officii nomina tanta tui.
Publica majeſtas per te minuetur, & ordo,
Si, quod es, ignotum turpiter eſſe voles.
Si tamen ut prodas occaſio nulla videtur
Commoda, nec præſto qui roget, ullus erit:
Hîc etiam exemplum, præſens adverte, docebo,
Idque ſequens vitii labe carere potes.
5. Magnus in hoſpitium veniebat nobile Doctor,
Claudere jam lapſum ſole parante diem.
Protinus hîc alii quoque convenere ſodales,
Nec mora diſpoſitis accubuere toris.

Nullus erat tota Doctori notus in æde,
  Nec domino quisquam qui loqueretur erat.
Spretus in extrema scabelli parte sedebat,
  Aspiciens tacito lumine mœstus humum.
Fercula sumebat tristi non grata palato,
  Ipsa quoque ingrati vina saporis erant.
Tantus amor meriti miserum stimulabat honoris,
  Cura fere ut pectus ruperit illa viri.
Ingenium tandem, vino subeunte, calescit,
  Prodit & hac nomen callidus arte suum.
Demit ab intonso, qua tectus, crine tiaram,
  (Officium domino præstet ut illa suo)
Hanc muri appendit suffixum in parte propinqui,
  Verbaque mox clara talia voce sonat:
Et satis indultum tristi reor esse rigori,
  Fas tandem læta fronte sit esse mihi.
Pendeat austerus vicino pariete Doctor,
  Non mibi sunt isto Jura legenda loco.
Ergone Doctoris titulus mea gaudia turbet?
  Lætitiaque frui nomen inane vetet?
Non mihi jam tanti est majestas nominis hujus,
  Sed patriæ repetens mœnia Doctor ero.
Dixerat, at reliqui modo seque virumque tuentes,
  Quid facerent dubii, quid loquerentur, erant.
Doctori simul assurgunt, veniamque precantur,
  Utque velit prima sede sedere rogant.
Inde viro ingentem craterem quisque propinant,
  Redditus hac illi est arte negatus honos.
6. Sic ubi nonnullo fueris decoratus honore,
  Sederit aut humeris publica cura tuis:
Concipe te dignos animoso pectore fastus,
  Egregium meritis nomen adeptus habes.
Cur te contemni stolidus patiaris ab ullo?
  Non ego te fatear, si patiare, virum.
Accidit id magno (pudeat) quandoque Magistro,
  Ferret ut immensum dedecus ille domum.
Ille diu studiis animum exornârat honestis,
  Jamque vir eximius, jamque magister erat.
Ergo novo patrios vult auctus honore penates
  Visere, natalis tactus amore soli.

Iamque iter ingressus lucem confecerat unam,
Fessus, & hospitium sole cadente subit.
Venit in hospitium virgo quoque nobilis illud,
Virgo verecundis conspicienda genis.
Tempus erat cœnæ, mensaque locantur eadem,
Virgineo lateri proximus ille fuit.
Tum vero incessit non parva superbia mentem:
Turgidior cunctis ille Magister erat.
Præ cunctis voluit quoque dignus honore videri:
Visus, & ut voluit, dignus honore fuit.
Vnus erat, tantos fastus qui ferre Magistri,
Pectore non posset dissimulante diu.
Namque erat ante viro quoq; consuetudine junctus,
Et socium nuper noverat esse suum.
Ergo ut erat technas artemq; instructus ad omnem,
Tentat honoratum dedecorare virum.
Omniaque observat quæcunque agit ille, dolose,
Cura animi, tumidum frangere pectus, erat.
Dumque observari nescit sua facta Magister,
Admovet ah capiti leniter ille manum.
Admotaque manu gestum scalpentis habebat,
Hæc ignominiæ causa reperta fuit.
Tunc etenim raptor tanti insidiosus honoris,
Non expectatos hos dedit ore sonos.
Sextipedes tot adhuc vermes venerande Magister,
(Quot nuper) toto corpore morsus alis?
Dic, nihil unguentum tibi profuit ergo, quod illas
Bestiolas contra pharmacopola dedit?
Ille sua certe perhibetur in arte peritus,
Temperat & docta pharmaca certa manu.
Dixerat hæc vultu tanquam sint vera severo,
Nec risu fictum prodidit esse jocum.
Ora sed immenso confusus honesta pudore,
Mutus ad hæc subito verba Magister erat.
Ira pudorque animum sic infregere tumentem,
Straveruntque adeo nobile pectus humi:
Vt neque se verbo saltem defenderit uno,
Nec delusorem plecteret ille suum.
7. Ille sit exemplo tibi, ne patiaris eadem
Impune à quoquam te ratione capi.

Sique vides alium, digno quem vulgus honore
Afficit, & primas ſemper habere jubet:
Illius ut minuas nomenque decuſque labora,
Creſcere vix alia tu ratione queas.
8. Nobilibus junctus dominis auriga ſedebat,
Sumere cum tantis vina ciboſque viris.
Vina ſimul cunctis cratere bibuntur eodem,
Ordine per varias circuit ille manus.
Circuit, inque manus aurigæ pervenit, ille
Hinc quoque, ſed terſo non prius ore, bibit.
Sic igitur multa reliquum pinguedine vinum
Inficit, in labiis hæſerat illa viri.
Res ea diſplicuit multis, ſed nullus aperta
Suſtinet auctorem, carpere voce, mali.
In ſua ſed duram ſtatuunt convivia legem,
Qua caveant tantum præveniantque ſcelus.
Sordibus hæc ullis qui vina infecerit, unus
Symbola pro cunctis ſolvito ſympoſii.
Ruſticus hanc legem contra ſua crimina ferri
Sentit, & hoc pœnam ſuffugit inde modo.
Quando calix ad eum juſto venit ordine, totum
Ebibit, ebibiti vertit ad aſtra pedem.
Atque ita converſum dominis oſtendit, & inquit,
Iamne ego me culpam non meruiſſe putem?
Ecquid adhuc aliquæ ſordes ſupereſſe videntur?
Cuncta equidem cyatho quæ latuere tuli.
Artibus his utens auriga impunis abivit,
Hoc erat ingenii multa videntis opus.
9. Miſſus erat patriæ communis nomine Conſul,
Paupere ad eximium nuper ab urbe ducem.
Paucula qui domino donaret vina, nec ille
Immemor innatæ ſimplicitatis erat.
Principis ut vultum coram conſpexit & ora,
Membra viri gelido diriguere metu.
Aſtitit, & verbum profari neſcius hæſit,
Qualiter ad viſum contremit agna lupum.
Tum dominus (trepidare virum quia ſenſit) amico
Alloquio, forti es pectore conſul, ait.
Protinus erectus Conſul ſua pilea demit
Crinibus, & digitis illa, diuque rotat.

Et tandem voces ausus jactare per aulam,
  Talia deposito verba timore refert:
O patriæ princeps hujus pulcherrime salve,
  Et mea non duro pectore verba cape.
Fama diu nostra constans auditur in urbe,
  Quam tibi sit nimii copia grata meri.
Quodque bonos inter socios noctesque diesque
  Pocula de Bacchi plena liquore bibas.
Nos igitur gratum munus præstare volentes,
  Mittimus hæc nostro dulcia vina Duci.
Talia quottidie nos, cum meliora negantur,
  Vina per arentem cogimus ire gulam.
Credo quod illorum hîc vobis sit rarior usus,
  Pocula non quivis talia habere potest.
Sic ait, & profert vinum quod veste latebat,
  Ante oculos domini constituitque sui.
Plenaque forte videt lapsas in pocula sordes,
  Nescio quas, pennæ vel leve stramen erat.
Dumque diu secum quibus artibus eximat, hæret,
  In varias flectit lumen utrumq; vias.
Nec mora, quo tollunt ustum de lumine lychnum,
  Organon in mensa forte jacere videt.
Aspicit, & tales adhiberi credit ad usus,
  Credit, & extemplo tollit utraque manu.
Tollit utraque manu, mittitque in pocula vini,
  Mittit, & hoc sordes eximit inde suas.
Protinus hinc domino non parvum præbibit haustũ,
  Et repetit patriæ mœnia parva suæ.
10. Non ego de vino jam dicere plura volebam,
  Sed me potores dicere plura jubent.
Tendimus ad finem, facinus tamen ante vel unum
  Accipe, Symposii postmodo finis erit.
Pocula non uno producta in palmite quidam
  Hauserat, & variis edita vina jugis.
Illa diu magnos agitabant ventre tumultus,
  Quodque alii nullum cedere vellet erat.
Non ea potori bella intestina placebant,
  Et minitans tales edidit ore sonos:
Unde mihi hæc tanto surgit discordia motu?
  Unde repens litis causa mihi illa venit?

Dicite quæ tantos moviſtis vina tumultus,
Cur ego vos magno victa labore bibi?
Aut pacem poſitis agitate intrinſecus armis,
Mutuaque accepta fœdera inite fide;
Aut ego vos iſta deturbans arce repellam,
Ructaboque vomens, ejiciamque foras.
Dixerat, & nondum ſævo ceſſante tumultu,
Imperii vanas noluit eſſe minas.
Et ſimul in vacuas nuper quæ ſumpſerat auras,
Præcipitat vomitu dulcia vina foras.
Nec mora, turbati requierunt aſpera ventri
Prælia, pax læta candida fronte redit.
Tu quoque cum ſimili tua ſurgent viſcera pugna,
Si ſapis, artibus his utere, liber eris.
Sique tibi eveniat, quod cuidam contigit olim,
Clarior eſt vomitus fama futura tui.
Quod ſimul ut noris, paucis adverte, docebo,
Utilis in multis hæc tibi praxis erit.
11. Pocula ſumebant unà Lenæa ſodales
Largius, & requies nulla laboris erat.
Horum aliquis crebros edebat gutture ructus
Turpiter, hæc vomitum ſigna præire ſolent.
Huic alius proprio demptam de crine tiaram
Exhibet, ad præſens officioſus opus.
Sumptaque ventriculus ſi vina regurgitat æger,
Huc mihi quicquid habes evome tutus, ait.
Dixerat, ille aperit fumantia ructibus ora,
Crudaque per ſtomachi vina refundit iter.
Iamque in pileolo vinumque cibuſque natabant,
Triſtior hoc alibi non odor ullus erat.
Alter ut impletam vomitu videt eſſe tiaram,
Immemor officii non ſedet ille diu;
Verum ut erat capiti vicini imponit, & omnis
Materies toto corpore fuſa fluit.
Exoritur plauſus jocularia facta videntûm,
Et venit hæc tota fabula grata domo.
Qui vomuit vana nequicquam accenditur ira,
Dignaque pro meritis præmia nactus, abit.

Cap.

CAP. VII.

Alia exempla de crepitu & ructu Oratorum, retentione urinæ, & aliis rusticitatibus.

QValia contigerint inter convivia dixi,
Nunc alia, atque aliis accipe gesta locis.
1. Missus ad externas Orator maximus oras
Nuper erat, lingua consiliisque valens.
Virgineo in cœtu, dominæque ante ora potentis,
Debuit eloquii tela ciere sui.
Vtque in conspectu dominæ data copia fandi,
Sollicitus graviter lumina figit humi;
Iamque soluturus facunda viriliter ora,
Vt solitum fieri, flectit utrunque genu.
Sed quia se nimium miser incurvabat, in auras
Edidit ingratum ventre crepante sonum.
Nil tamen hoc facto perterritus, absque rubore
Prosequitur causæ cœpta severa suæ.
Dissimulant omnes crepitum audivisse, sed una,
Non bene quæ risum virgo teneret, erat.
Dumque sibi indulget nimium ridere loquentem,
Ah male virgineas claudit inepta nates.
Et tenuem ventris crepitum subtiliter edit;
Audieris, lyricum dixeris esse sonum.
Tum memor admissi Rhetor, sua cœpta relinquens,
Virgineum alloquitur verba per ista chorum;
Pergite sic ventos ex ordine, pergite Nymphæ,
Mittere, quos longum continuisse nocet.
Inde ubi me rursum quoque mittere jusserit ordo,
Officii peragam munia cuncta mei.
Illico virgineas perfusa rubedine malas,
Dejicit ab oculos mœsta puella suos.
At reliquæ ingenti risu quatiuntur, & illo
Solvitur actutum concio cœpta modo.
2. Sed recitare disertorum quia gesta virorum
Cœpimus, inceptum continuemus opus.
Principis excelsam magnis de rebus ad arcem
Ingenio Rhetor divite missus erat.

Vestibus

Vestibus indutus quas tellus Serica mittit,
  Eximio visus dignus honore fuit.
Nulla mora est igitur, patet inclyta principis aula,
  Plenaque dicendi est copia facta viro.
Incipit altisonis exordia grandia verbis,
  Fulminat & tumido lingua diserta sono.
Verba sed assiduos edit post singula ructus
  Turpiter, hesternæ signa pudenda dapis.
Huic vitio teneris demens assuerat ab annis,
  Nullaque jam poterat tollere cura malum.
Auribus hos princeps ructus accepit, & ægra
  Indecores mores factaque mente tulit,
Dissimulat tamen, & placato Rhetora vultu
  Aspicit, ac tandem talia verba refert:
Non equidem invitas istis sermonibus aures
  Præbeo, facundo clare vir eloquio.
Sed quia jam regni graviora negotia surgunt,
  Crastina ad inceptum luce redibis opus.
Interea varias princeps sub pectore technas,
  Et varios varia cogitat arte dolos.
Postera lux aderat, Rhetorque vocandus ad aulam,
  Vt cœptam causam prosequeretur, erat.
Forte erat abjectæ vir conditionis in urbe,
  Vile ministerium cuilibet ære locans.
Is poterat crepitus emittere ventris in auras
  Semper, & arbitrii pro ratione sui.
Hunc vocat, & verbis princeps affatus amicis,
  Arte tua nobis nunc opus, inquit, erit.
Inde viro vestem dignam Doctore, Tiaramque
  Induit, & quæ sint postea agenda docet.
Rhetor ad inceptum rediens, sua fulmina torquet,
  Et repetit ructus continuatque suos.
Alter item toties, solitæ non immemor artis,
  Parte sui clarum posteriore crepat.
Quid faciat Rhetor? male fert; atque æstuat ira,
  Alterius facile cernere crimen erat.
Respicit, & mores reprendere cogitat illos,
  Sed dubium in partem traxit utranque pudor.
Senserat id princeps, & amica fronte diserto
  Talia subridens Rhetori verba refert:

Hic

Hic etiam Doctor longinquis missus ab oris,
De gravibus nobis dicere rebus habet.
Utque subinde novi ructus tua verba sequuntur,
(Forsan & in patria mos viget ille tua)
Non aliter crepitus hic verba ad singula promit,
Et patrium à teneris unguibus illud habet.
Dixerat, & tacuit Rhetor, delusus abivit,
Et medio cœptum tramite rupit opus.
3. Historiam rerum quidam narrare novarum,
Cœperat, & longam fecerat ille moram.
Huic aliquis cupidas adhibebat sedulus aures,
Rebus & attentus quas recitabat erat.
Interea plenam vesicam urina gravabat,
(Triste diu ventris non bene fertur onus)
Sed miser historiæ nimia dulcedine captus,
Narrantem, durum negligere, esse putat.
Forte brevi bursam factam de pelle gerebat,
Condere qua solitus cusa metalla fuit.
Hanc rapiens undis ventrem torquentibus implet,
Dum capiat finem fabula cœpta suum.
Noverat, urinam multis nocuisse retentam,
Id metuens, pulchra consulit arte sibi.
Nuper enim Doctor pietate insignis & ævo,
Pertulit indignæ fata dolenda necis.
Cum teneris currum conscenderat ille puellis,
Virginibusque sedens undique cinctus erat:
Iamque per haud paucas securus sederat horas,
Nil nisi de casta virginitate loquens.
Plena sed attracto turgens vesica liquore,
Præproperam tacita voce petebat opem.
Non tamen à curru discendere sustinet amens,
Sed premit ingenti triste dolore malum.
Tanta viro fuerat casti reverentia cœtus,
Vt faceret vitæ tristia damna suæ.
Namque redundanti vesica gravata liquore,
Viscera per diras rupta refudit aquas.
In fera sic paucis concessit fata diebus,
Hoc tulit à stulto grande pudore malum.
Id metuens, quasvis potius convertere ad artes,
Quam subeas vitæ tanta pericla tuæ.

4. Hæc quoque visa fuit mihi fabula digna referri,
Quæ veteris multum simplicitatis habet.
Nuper ab antiquo superans, puto, rusticus ævo,
(Simplicius nostro scilicet illud erat)
Accedit veterem cui non ignotus amicum,
Verbaque multiplici plena salute refert.
Iamque manum manui dextræ conjungere dextram,
Pignus amicitiæ quod solet esse, parat.
Sed prius impletis mucorem naribus aufert,
Turpiter hunc plena continet ille manu.
Atque ita dilecto dextram protendit amico,
Sitque tibi hæc nostri pignus amoris, ait.
Scilicet id metuit, ne rustica durior æquo
Posset honoratum lædere palma virum,
Providus ergo volam sublevit phlegmate molli,
Hoc facinus parvæ non erat artis opus.
Talia facta queam numero sine multa referre,
Quæ monitus possis non sine laude sequi.
Sed liber in magnum mihi cresceret iste volumen,
Si tibi perscribi carmina cuncta velis.
Ingenio ipse tuo nunc utere, scilicet ipse
Me sine sat simplex esse rudisque potes.
Me præcepta jubet brevibus comprendere Flaccus,
Singula quo docili mente notare queas.
Quos tamen haud multos versus in fine libelli
Adjicio, memori mente notare velis.
Simplicitas antiqua virûm læta arva colentum,
Rusticitasque rudis sit pretiosa tibi.
Sed quæcunque solent homines laudare severi,
Neglige: quid rigida cum gravitate tibi?
Si poteris risum stomachumque movere quibusvis,
Officio functum te rear esse tuo,
Iamque vale juvenis morum studiose bonorum,
Quæque tibi dono, consule pauca boni.

GROBIANA.

CAPUT ULTIMUM.

De moribus quæ virgines deceant, tum domi, tum in publico, & in conviviis, & alibi.

SAT mihi jamdudum dixiſſe ſuperque videbar,
 Et finem monitis impoſuiſſe meis.
Sed teneræ blando me poſcunt ore puellæ,
 Utque rogant ipſas pauca docere velim.
Quid faciam? juſtaſne preces averſer? & illa
 Irrita difficilis vota fuiſſe ſinam?
Non equidem faciam: cupidas advertite mentes,
 O mihi fœminei turba colenda chori.
Pauca loquar ſaltem mores formantia veſtros:
 Pauca ſed illa tamen commoda multa dabunt.
Nil opus eſt longo vos carmine multa doceri,
 Vincitis en ipſos ruſticitate viros.
Ad mala vos ultro facilis natura, vel omnes
 Inſtruit, officio nil eget illa meo.
Quæ tamen Antiſtes vatum mihi dictat Apollo,
 Accipite, haud falſa cuncta relata fide.
Huc ades ô mores exoſa puella modeſtos,
 Huc ades, ut monitis erudiare meis.
1. Quando per urbanas iter ingrediere plateas,
 (Nil ego quo cultu ſis onerata moror)
Lumina permittes quocunque proterva vagari,
 Omnia quo retro cernere & ante queas.
Quæ ſibi nullius eſt mens conſcia criminis, audet
 Lumina depoſito recta levare metu,
Atque hominem quemvis erecta fronte tueri:
 Quæ ſibi mens culpæ eſt conſcia, ſpectat humum.
2. Inde manu veſtes prudens utraque levabis,
 Sordida ſi multo ſit via facta luto.
Candida quo poſſint tua crura, & utrunque videri,
 (Altius ô pudeat tollere velle) genu.
Forte ea res juvenum tibi conciliabit amorem,
 Quique tibi ſponſam te petat unus erit.

Nec

Nec mihi displiceat, te taliter ire videnti,
Oblita quod fœdo sint tua crura luto.
Arguit impositi studium res illa laboris,
Quem vigil assidua sedulitate subis.
Otia nam pedibus data nulla fuere lavandis,
Officio invigilas dum studiosa tuo.
3. Pectore nudato prodire sinuque patente
Quam deceat, certe quisque videre potest.
Lactea colla oculis pateant, teretesque papillæ,
Grata puellipetis res erit illa procis.
Non ego tam stupidus, nec ero tam barbarus unquã,
Quin mihi te talem sæpe venire velim.
Quæ bona sunt oculis manifesta, merentur amari,
Quæque latent, nulli cognita, nullus amat.
4. Quæ tibi cunque venit, quondam tibi nota soda-
Obvia per mediam fœmina facta viam: (lis,
Nil opus est dicta prius acceptaque salute,
De rebus variis incipe multa loqui.
Heu mala multa premunt miseras & magna puellas,
Omnia quæ tenero sunt toleranda gregi.
Huic gravis est rigidæ nimium censura parentis,
Jurgia terrifico quæ tonat usque sono.
Imperium dominæ male sustinet illa superbæ,
Subdit & indigno libera colla jugo.
Hei mihi quam multus fallax decepit amator,
Promissam veritus nil violare fidem.
Hinc igitur semper quæ multa queraris habebis,
Vtere naturæ dote puella tuæ.
Fœmineum omne genus fecit natura disertum,
Id mulier donum cœlitus omnis habet.
Ergo diu nihili de rebus multa loqueris,
De nihili rebus discere multa voles.
Illa decem duret tibi fabula cœpta per horas,
Ante tibi turpe est velle redire domum,
5. Interea si te (quod vix tamen accidet unquam)
Deficiet tanta res agitanda mora
Inspectos aliorum hominum reminiscere mores,
Hîc tibi dicendi campus apertus erit.
Qua ratione suos vicinus quisque gubernet,
Exigat & vitam qua ratione suam.

Fercula

Fercula quæ ponat mensis, quæ pocula sumat,
Illius & quantas arca reservet opes.
Omnia quis numeret, quæ multa diuque volenti
Dicere, materiam suppeditare queunt?
Quælibet audacter dices de quolibet, illud
Est licitum, sexus pro ratione tui.
Si tamen incipies aliorum lædere famam,
Plus facies libri quam docuere mei.
6. Hinc ab ea quando fueris digressa, domumque,
Imposito nugis fine, redire voles:
Invenies obiter venalia poma, nucesque,
Vel pyra, quæ lauto multa videre foro est.
Talia præteriens obolis tribus empta parabis,
Nonnihil ut cupidæ gratificere gulæ.
Inque via, medioque foro, quocunque vidente,
(Et quis erit qui te carpere possit?) edes.
Qui tibi quadrantem minimum conferret ementi
Nullus erat: precio stant tibi cuncta tuo.
7. Interea varios qui proferat histrio ludos,
In medias veniet plebe vocante vias.
Edet is insano spectacula plurima vulgo,
Hac sibi quo tenuem colligat arte stipem.
Multa profanus aget, petulans sed plura loquetur
Turpiter, & gravibus non placitura viris.
Te tamen his oculos advertere virgo patentes,
Omniaque attenta mente notare, velim;
Et dare lascivis patulas sermonibus aures,
Doctior ut possis inde redire domum.
Turpia sive vides, seu percipis aure, putato
Tingere virgineas turpe rubore genas.
Conscia commissi tibi criminis esse fereris,
Purpura si malas pinxerit illa tuas.
Sin color in vultu semper tibi manserit idem,
Illa via ad laudem pronior esse potest.
Non res te credent intellexisse profanas,
Quod fugiant annos turpia dicta tuos.
Si tamen & risu malesana probaris aperto,
Quæ fieri cernis, cuncta placere tibi:
Nullus erit qui te nostri præcepta libelli,
Et monitus avide non didicisse putet.

8. Nec

8 Nec tibi displiceant hilaris convivia cœtus,
Quæ celebrant juvenes, quæ celebrantque viri.
Sique meos audis monitus & jussa docentis,
Te quoque symposiis semper adesse velim,
Inter enim potes juvenes vinoque madentes,
Multa audire potes, multa videre potes.
Unde tibi vitæ sumas exempla, profecto
Rusticitas illo regnat inepta loco.
Nec nihil esse puta juvenum perdiscere mores,
Quæ vitia abstruso pectore quisque tegat.
Ingenium, vino mentem superante, patescet,
Vina solent animum prodere larga viri.
9 Forsan & adfuerit quem speres nupta maritum,
Hunc etiam, qua sit mente, probare potes.
Cujus ut ingenium melius perdiscere possis,
Assideas domino proxima virgo tuo.
Et quid agat potus, quæ denique verba loquatur,
Quamque avide sumat pocula plena, notes.
Quis scit an obtineas, animos faciente Lyæo,
Ut tibi promittat fœdera sancta tori?
10 Quoque magis lætum videas & amore calentẽ,
Non nimium tuus est dissimulandus amor.
Ingentem cyathum juveni tu læta propines,
Sic erit exemplo lætior ille tuo.
Evacuesque uno cyathum quem præbibis haustu,
De veteri plenus sit licet ille mero.
Et tibi potando mox ut respondeat ores,
Hoc animi poterit pignus habere tui.
Inde etiam quicquid tibi præbibet ille vicissim
Accipias facili nilque morata manu.
Acceptumq; avido, quia præcipit ille, palato
Evacues: annos res decet illa tuos.
Moribus his juvenis tuus exhilaratus, in imo
Impatiens curæ pectore vulnus alet.
Indubiisque suum signis jam prodet amorem,
Tempore qui longo dissimulatus erat.
11 Iam teretes manibus volet attrectare papillas,
Cæteraque in toto quæ latuere sinu.
Non equidem quin tu patiaris cuncta vetabo:
Cur mihi displiceant quæ placuere tibi?

Non mea res agitur, tua ſaltem fama laborat.
Fama nequit multos integra ferre jocos.
Heu mihi quam facile eſt amittere nomen honeſtum!
Quod periit, ingens eſt reparare labor.
12 Quid tamen & noceat, blanda jam voce rogare,
Quæ tibi det potus munera magna procus,
Cum ſimul & cœco juvenis ſtimulatur amore,
Et ſimul aſſumpto cor calet ille mero?
Multaque promittat licet, & jam plurima donet,
Ut tamen acceptis plura det uſque, roga.
Munera nulla boni, quantumvis magna putentur,
Conſule, ſed parcas uſque querare manus,
Ipſa quoque interdum, quo vel meliora reportes
Munera, amatori paucula dona dabis.
Nec tamen hîc veterem Naſonis tradimus artem;
Diverſa eſt ſtudio meta petita meo.
Ludere deceptum ſi delectaris amantem,
Non potes è noſtro diſcere multa libro.
Perlege Peligni verſus ſtudioſa Poetæ;
Quod petis à nobis aptius ille dabit.
13 Florea virginei capitis decus eſſe corona
Eque maris viridi rore parata, ſolet.
Hanc tamen inſani tu conſuetudine vulgi
Simpliciterque comis impoſuiſſe, cave.
Simplicitas priſcis fuit hęc laudabilis annis,
Nunc alios mores tempora noſtra ferunt.
Quod nimis eſt, laudem nullam, vulgare, meretur,
Sed quæ facta novo more fuere, placent.
Ergo tibi naſo ſit cura appendere ſertum,
Ut mediam frontem luminaque ipſa tegat.
Cur moneam tali te pendere more coronam,
Stultula me cauſas credis habere leves?
Floribus è variis, & non male olentibus herbis,
Quam geris, ô virgo, facta corona fuit.
Suaviter hoc naſus tuus afficietur odore,
Suavis odor cerebro proderit ille tuo.
Ille odor ætherias fruſtra exhalabit in auras,
Ni ſubeant nares florea ſerta tuas.
14 Non pudeat tenerum tecum duxiſſe catellum,
Qui faciat ludos delitiaſque tibi.

Est quoque cum clausa ventris corruptus in alvo
  Excruciat magno viscera tensa malo:
Tunc tacitus vacuas erit emittendus in auras
  Qui nimii ventus causa doloris erat.
Hic poterat teneras nares offendere fœtor,
  Forsan & auctorem dedecorare suum:
Sed canis officium dominæ præstabit honestæ,
  Impositi culpam criminis ille ferat,
Aeraque ingrato vitiasse putetur odore:
  Verba tibi contra dicere nulla potest.
15 Perpetuas agitant pulices & fœmina lites,
  Bellaque in æternum non dirimenda gerunt.
Insidias parvus tenebris defensus iniquis
  Collocat, exiguo pungat ut ore pulex.
Fœmineoque suum mordax in corpore rostrum
  Figit, & in tenera spicula dura cute.
Exagitat miseras adeo dolor ille puellas,
  Ut positis ineant aspera bella moris.
Tu quoque lucifugo quando infestaris ab hoste,
  Fortiter ultrici corripe tela manu.
Sive domi sævis te lædere morsibus ausit,
  Sive cruentato te petat ore foris.
Nilque tua refert hinc multa quod astet, & illinc,
  Quæ videat mores turba aliena tuos.
Vestibus excussis inimicum quære latentem,
  Supplicium sceleris captus ut ille luat.
Fortiter è latebris captivum protrahe, nec te
  Parcere res hosti moverit ulla tuo.
Exemplum metuent alii crudele, tuumque
  Qui latus inde ausit pungere nullus erit.
Non alia poterit tibi pax ratione parari,
  Quin tuus ad manes perditus hostis eat.
16 Nunc etiam exemplum, ne quid tibi deesse quæraris,
  Accipe, quod vitæ dirigat acta tuæ.
Publicus antiqua conventus in urbe virorum,
  Quo non exiguæ res agerentur, erat.
Venerat huc mulier rerum studiosa novarum,
  Et quæ vellet agi, plurima vidit agi.
Interea multas dum res differtur in horas,
  Ah miseram pleni corporis urget onus.

Pondere concoctæ venter distenditur escæ,
  Submissoque petit murmure tensus opem.
Illa rei auditæ nimia dulcedine capta,
  Noluit inceptam deserere historiam.
Forte igitur peram qua libros ferre solebat,
  Quos legit assidua relligione, gerit.
Accipit hanc, & ventris onus deponit in illam,
  Dum capiat finem fabula cœpta suum.
Hunc etiam virgo disces, ego suadeo, morem,
  Is tibi qua prosit hora venire potest.
17 Tempora sed demens quid contero multa monendo,
  Cum liceat verbis dicere cuncta tribus?
Omnia quæ generi jam sunt præcepta virili
  Tradita, tu vitæ transfer ad acta tuæ.
Nec tamen esse putem tibi congrua cuncta, sed ipsa
  Cernere quid deceat dedeceatque potes.
Nullius affectes laudem sapientis ab ore,
  Nec tibi sit rigidis cura placere sophis.
Sed mihi te saltem formandam trade Magistro,
  Atque tua imperio subjice colla meo.
Scilicet ad vitam tibi prævius ibo modestam,
  Discere quam melius non aliunde potes.
Pluraque jam poteram præcepta salubria morum
  Tradere, non animo displicitura tuo.
Sed mea me fessos revocare Thalia jugales
  Et medio cursu rumpere cœpta jubet.
Ergo vale, & si quid monitis profeceris illis,
  Prospera doctori fata precare tuo.

CON-

CONCLUSIO AD SIMONEM BINGIUM,

In qua hujus operis consilium & utilitatem indicat.

HOc duce te Bingi tandem superavimus æquor,
Te laceræ dextram subjiciente rati.
Non ego me vasto temere committere ponto,
Et maris insani fluctibus ausus eram.
Sed tua me pietas animavit, & absque timore
Fortiter insolitas jussit inire vias.
Tuque dabas ventos bonus in mea vela secundos,
Ut faceret cursum nostra carina suum.
Nunc tenet optatos longo sibi tempore portus
Puppis, & immensis tuta quiescit aquis.
Si fuit infelix nostræ via trita Celoci,
Nec tenuit justum quod decuisset iter:
Non tuus est nobis favor accusandus: & omnis
Ingenii certe culpa erit illa mei.
Qualicunque tamen portum ratione tenemus:
Una erat hæc votis mera petita meis.
Ergo tibi navim servati & vela dicamus,
Accipe, nos fidei tradimus illa tuæ.
Tu laceram à tumidis puppim defende procellis,
Lædere tempestas neu queat ulla, vetа.
Nil etenim nobis littus tenuisse petitum
Proderit, & tantam continuasse viam:
Ni favor ille tuus vel nunc mea vela sequatur,
Et solitam nobis servet, ut ante, fidem.
Sæva vel in portu submersos obruat unda,
Quæ furit insanis exagitata Notis.
Tu potes incertam, velut anchora, sistere proram.
Eia age præsidio tuta sit illa tuo.
Suscipe tutelam nostri, Clarissime Bingi,
Carminis & curam quam potes hujus habe.
Sique tibi studium saltem laudabitur istud.
Spes animum reliquis posse placere subit.

Forsitan exigua est in carmine gratia nostro,
  Et minus urbani Musa leporis habet.
Et veniet cupido lectori parva voluptas,
  Dulcia qui tantum scripta legenda putat.
Hei mihi si multis etiam fastidia surgent,
  Quod videant tenui carmina facta stylo.
Ergo mei studium damnabitur omne laboris?
  Irritaque est operæ cura futura meæ?
Polliceor meliora mihi: quia tædia quanquam
  Ex isto multi carmine multa ferent;
Spero tamen paucos, saltem quibus ista probetur
  Musa, fore: & paucis me placuisse, sat est.
Nil opus hoc, lautas bene quod demulceat aures,
  Quodque animi curas pellere possit, habet.
Non tamen omnino, nisi me sententia fallit,
  Utilitas nostri nulla laboris erit.
Pinximus agrestes agresti carmine mores,
  Propositos oculis, grex studiose, tuis.
Vidimus à multis fieri, quæ scripsimus, ipsi:
  Multa notata alio sunt referente mihi.
Multa etiam (quid enim pudeat me vera fateri?)
  Ipse mea admisi rustica facta manu.
Nec nisi, cujus erat nobis bene cognitus usus,
  Scripsimus hic ullum simplicitatis opus.
Qui leget hæc (si quis tamen esse legenda putabit)
  Quisquis erit, fructus non feret inde nihil.
Inveniet saltem dictum factumve vel unum,
  Depictos mores quo putet esse suos.
Cumque leget, tacito morsu sua facta notari
  Rustica, quæ solitus facta patrare fuit:
Protinus ingenuas maculabit purpura malas,
  Is color in tacita fronte pudoris erit.
Neu sit opus simili post illa rubescere culpa,
  Instituet vitam cautius ille suam.
Et quia ridenti nos hic perstrinximus ore,
  Quæ sunt judicio rustica visa meo:
Certe aliquis nobis isto pro carmine grates
  (Quod puto sedulitas nostra meretur) aget.
Qui tamen ista mihi scribendi causa fuisti,
  Cujus & auspicio cœpimus illud opus:

Tu populi Bingi cantabere plurimus ore,
Et tua qui taceat nomina nullus erit.
Pro se quisque volet meritas tibi dicere grates,
Cum sciet hoc carmen muneris esse tui.
Et merito feret acceptum tibi, si quid in illo,
Quod tibi proficuum judicet ullus, erit.
Namque ubi jejunos dubitabam emittere versus,
Fuderat incompto quos mea Musa stylo;
Auribus indignos doctis quos esse videbam,
Quod male & invito facti Helicone forent:
Bingius hortator veniens, audere timentem
Iussit, & ingratum ponere corde metum.
Emissumque domo tandem vulgare poëma,
Quodqueat à multis non sine fruge legi.
Illius hortatus ego judiciumque sequutus,
Hoc patior vulgi carmen adire manus.
Has igitur quisquam vita de simplice nugas
Si leget, & senium si liber iste feret:
Bingius æternum quoque nomen habebit in illo,
Nullaque posteritas immemor ejus erit.
Illius hoc virtus bonitasque innata meretur,
Inclyta ne domino fama cadente cadat.
Nam bonus Aonias humana fronte sorores
Respicit, & sacrum diligit ille chorum.
Castraque Pieridum juvenes Phœbique secutos
Promovet, & promptam fert miseratus opem.
Heu mihi quam paucos, sacri qui numina montis
Castalidas curent, sæcula nostra vident.
Quisque aliis animum mavult intendere rebus,
Et studium quavis ponere in arte suum.
Divitias quærunt, quantis rex Lydius olim
Incolumi regno stante superbus erat.
Propositus toti scopus est ditescere vitæ,
Quęrereque immensas quas habet orbis opes.
Sæpius ergo ruunt acti per fasque nefasque,
Quo furor & Pluti dira cupido vocat.
Interea divæ, quæ sacrum Helicona frequentant,
Heu dolor! indecores & sine honore jacent.
Tu tamen has Bingi spretas sine honore jacere
Non sinis, & nulla non pietate levas.

Prosequeris doctos, quod doctus es ipse, favore,
  Et quacunque potes parte juvare juvas.
Perge bonis semper, quod agis, perge esse benignus,
  Et studia auxilio profer honesta tuo.
Hinc tua venturo pietas celebrabitur ævo,
  Nominis & perpes fama futura tui est.
Vix alias melius decus immortale per artes
  Obtineas, nec laus plenior ulla venit,
Quam pia doctorum si sit tibi cura virorum,
  Hactenus illorum ceu tibi cura fuit.
Vive diu nobis, nostrique exile laboris
  Hoc studium vultu conveniente cape.
Si fuerit nostris conatibus æquus Apollo,
  Plura feres, sed te carmina digna. Vale.

FINIS.

INDEX CAPITUM,

Quæ in his Libris de Simplicitate Morum traduntur.

Capita Libri primi.

Capita Libri secundi.

Capita Libri Tertii.

FINIS INDICIS.

DE
CIVILITATE
MORUM
PUERILIUM,

PER
DES. ERASMUM
ROTERODAMUM
Libellus.



LONDINI,
Ex Officina ROGERI DANIELIS.
ANNO CIↃ. IↃC. LXI.



DES. ERASMUS ROTERODAMUS

Generoso cum primis & optimæ spei puero, HENRICO à BURGUNDIA, ADOLPHI Principis VERIANI filio S.

SI ter maximum illum Paulum non piguit omnia fieri omnibus, quò prodesse posset omnibus, quanto magis ego gravari debeo juvandæ juventutis amore subinde repuerascere? Itaq; quemadmodum pridem ad MAXIMILIANI fratris tui primam adolescentiam memet accommodavi, dum adolescentulorum formo linguam: ita nunc, HENRICE suavissime, me ad tuam attempero pueritiam de puerorum moribus præcepturus: non quod tu hisce præscriptis magnopere egeas, primum ab incunabulis inter aulicos educatus, mox nactus Joannem Crucium tam insignem formandæ rudis ætatis artificem: aut quod omnia quæ præscribemus ad te pertineant, & è principibus & principatui natum.

Sed ut libentius hæc ediscant omnes pueri, quod

amplissimæ fortunæ, summæque spei puero dicata sint. Nec enim mediocre calcar addet universæ pubi, si conspexerint heroum liberos à primis statim annis dicari studiis, & in eodem cum ipsis stadio currere.

Instituendi Pueros Ratio.

Munus autem formandi pueritiam multis constat partibus, quarum sicuti prima ita præcipua est, ut tenellus animus imbibat pietatis seminaria: proxima ut liberales disciplinas & amet, & perdiscat: tertia est, ut ad vitæ officia instruatur: quarta est, ut à primis statim ævi rudimentis civilitati morum assuescat. Hanc postremam nunc mihi proprie sumpsi. Nam de superioribus quum alii complures, tum nos quoque permulta scripsimus.

Quanquam autem externum illud corporis decorum ab animo bene composito proficiscitur, tamen incuria præceptorum nonnunquam fieri videmus, ut hanc interim gratiam in probis & eruditis hominibus desideremus. Nec inficior hanc esse crassissimam philosophiæ partem, sed ea, ut sunt hodie mortalium judicia, plurimum conducit & ad conciliandam benevolentiam, & ad præclaras illas animi dotes oculis hominum commendandas.

Decet autem ut homo totus sit compositus animo, corpore, gestibus, ac vestitu, sed in primis pueros decet omnis modestia, & in his præcipue nobiles. Pro nobilibus autem habendi sunt omnes, qui studiis liberalibus excolunt animum. Pingant alii in clypeis suis leones, aquilas, tauros, & leopardos; plus habent veræ nobilitatis, qui pro insignibus suis tot possunt imagines depingere, quot perdidicerunt artes liberales.

Ut ergo bene compositus pueri animus undique reluceat, relucet autem potissimum in vultu, sint oculi placidi, verecundi, compositi, non torvi, quod est truculentiæ, non improbi, quod est impudentiæ, non vagi ac volubiles, quod est insaniæ, non limi,

quod est suspiciosorum & insidias molientium, nec immodice diducti, quod est stolidorum, nec subinde conniventibus genis ac palpebris, quod est inconstantium, nec stupentes, quod est attonitorum, id in Socrate notatum, nec nimium acres, quod est iracundiæ signum, non innuentes ac loquaces quod est impudicitiæ signum, sed animum sedatum ac reverenter amicum præ se ferentes. Nec enim temere dictum est à priscis sapientibus, animi sedem esse in oculis. Picturæ quidem veteres nobis loquuntur, olim singularis cujusdam modestiæ fuisse, semiclusis oculis obtueri, quemadmodum apud Hispanos quosdam, semipetos intueri blandum haberi videtur & amicum. Itidem ex picturis discimus, olim contractis strictisque labiis esse, probitatis fuisse argumentum. Sed quod suapte natura decorum est, apud omnes decorum habebitur. Quanquam in his quoque decet interdum nos fieri polypos, & ad regionis morem nosmet attemperare.

Jam sunt quidam oculorum habitus, quos aliis alios addit natura, qui non cadunt sub nostras præceptiones, nisi quod incompositi gestus non raro vitiant, non solum oculorum, verum etiam totius corporis habitum ac formam. Contra compositi, quod natura decorum est, reddunt decentius: quod vitiosum est, si non tollunt, certe tegunt minuuntque. Indecorum est clauso oculorum altero quempiam obtueri. Quid enim hoc aliud est, quam seipsum eluscare? Eum gestum thynnis ac fabris relinquamus.

Sint exporrecta supercilia, non adducta, quod est torvitatis: non sublata in altum, quod est arrogantiæ, non in oculos depressa, quod est male cogitantium.

Frons item hilaris & explanata, mentem sibi bene consciam, & ingenium liberale præ se ferens, non in rugas contracta, quod est senii: non mobilis, quod erinaciorum: non torva, quod est taurorum.

A naribus absit mucoris purulentia, quod est sordi-

dorum. Id vitium Socrati philoſopho datum eſt probro. Pileo aut veſte emungi ruſticanum, brachio cubitove ſalſamentariorum, nec multo civilius id manu fieri, ſi mox pituitam veſti illinas.

Strophiólis excipere narium recrementa decorum, idque pauliſper averſo corpore, ſiqui adſint honoratiores. Si quid in ſolum dejectum eſt emuncto duobus digitis naſo, mox pede proterendum eſt. Indecorum eſt ſubinde cum ſonitu ſpirare naribus, bilis id indicium eſt. Turpius etiam ducere ronchos, quod eſt furioſorum, ſi modo fiat uſu. Nam ſpiritoſis qui laborant orthopnœa, danda eſt venia. Ridiculum naribus vocem emittere, nam id cornicinum eſt & elephantorum. Criſpare naſum, irriſorum eſt & ſannionum.

Si aliis præſentibus incidat ſternutatio, civile eſt corpus avertere. Mox ubi ſe remiſerit impetus, ſignare os crucis imagine, dein ſublato pileo reſalutatis qui vel ſalutarunt, vel ſalutare debuerant: nam ſternutatio quemadmodum oſcitatio ſenſum aurium prorſus aufert: precari veniam, aut agere gratias.

Alterum in ſternutamento ſalutare religioſum, & ſi plures adſint natu majores qui ſalutent virum aut fœminam honorabilem, pueri eſt aperire caput. Porro vocis tinnitum ſtudio intendere, aut data opera ſternutamentum iterare, nimirum ad virium oſtentationem, nugonum eſt. Reprimere ſonitum quem natura fert, ineptorum eſt, qui plus tribuunt civilitati quam ſaluti.

Malas tingat nativus & ingenuus pudor, non fucus aut aſcititius color. Quanquam is quoque ſic temperandus eſt, ut nec vertatur in improbitatem, nec adducat ſtuporem, & quartum, ut habet proverbium, inſaniæ gradum. Quibuſdam enim hic affectus tam impotens inſitus eſt, ut reddat deliranti ſimillimum. Temperatur hoc malum, ſi puer inter majores aſſueſcat vivere, & Comœdiis agendis exerceatur. Inflare buccas faſtus indicium eſt, eaſdem demittere, eſt animum deſpondentis;

tis : alterum est Thrasonis, alterum Judæ proditoris.

Os nec prematur, quod est metuentis alterius halitum haurire, nec hiet, quod est morionum, sed leniter osculantibus se mutuo labris conjunctum sit. Minus etiam decorum est subinde porrectis labiis veluti poppysmum facere, quanquam id magnatibus adultis per mediam turbam incedentibus condonandum est, illos enim decent omnia, nos puerum formamus.

Si fors urgeat oscitatio, nec datur averti aut cedere, strophio volave tegatur os, mox imagine crucis obsignetur. Omnibus dictis aut factis arridere stultorum est, nullis arridere stupidorum. Obscœne dictis aut factis arridere nequitia est.

Cachinnus & immodicus ille totum corpus quatiens risus, quem ob id Græci συγκρούσιον appellant, nulli decorus est ætati, nedum pueritiæ. Dedecet autem quod quidam ridentes hinnitum edunt. Indecorus & ille qui oris rictum late diducit corrugatis buccis, ac nudatis dentibus, qui caninus est & Sardonius dicitur.

Sic autem vultus hilaritatem exprimat, ut nec oris habitum dehonestet, nec animum dissolutum arguat. Stultorum illæ voces sunt, risu diffluo, risu dissilio, risu emorior: & siqua res adeo ridicula inciderit, ut nolentibus ejusmodi risum exprimat, mappa manuve tegenda facies. Solum aut nullam evidentem ob causam ridere, vel stultitiæ tribuitur, vel insaniæ. Si quid tamen ejusmodi fuerit obortum, civilitatis erit aliis aperire risus causam, aut si non putes proferendam, commentitium aliquid adferre, ne quis se derideri suspicetur.

Superioribus dentibus labrum inferius premere, inurbanum est, hic enim est minantis gestus, quemadmodum & inferioribus mordere superius. Quin & labrorum oras lingua circumvoluta subinde lambere ineptum: porrectioribus esse labris,

labris, & velut ad osculum compositis, olim apud Germanos fuisse blandum indicant illorum pictura: porrecta lingua deridere quenquam scurrile est.

Aversus expuito, ne quem conspuas aspergasve. Si quid purulentius in terram rejectum erit, pede, ut dixi, proteratur, ne cui nauseam moveat. Id si non licet, linteolo sputum excipito. Resorbere salivam inurbanum est, quemadmodum quosdam videmus non ex necessitate, sed ex usu ad tertium quodque verbum expuere.

Quidam indecore subtussiunt identidem inter loquendum, idque non ex necessitate, sed ex more: is gestus est mentientium, & inter dicendum quid dicant comminiscentium. Alii minus etiam decore ad tertium quodque verbum eructant, quæ res si à teneris annis abierit in consuetudinem, hæret etiam in grandiorem ætatem.

Idem sentiendum de screatu, quibus nominibus à servo notatur Terentianus Clitipho. Si tussis urgeat, cave ne cui in os tussias, & absit ineptia clarius tussiendi, quam natura postulet. Vomiturus secede, nam vomere turpe non est, sed ingluvie vomitum accersisse deforme est.

Dentium mundicies curanda est, verum eos pulvisculo candidare puellarum est, sale aut alumine defricare, gingivæ perniciosum, idem lotio facere Iberorum est. Si quid inhæsit dentibus, non cultello, non unguibus, canum feliumve more, non mantili eximendum est, sed vel lentisci cuspide, vel penna, vel officulis è gallorum aut gallinarum tibiis detractis.

Os mane pura aqua proluere, & urbanum est & salubre, subinde id facere ineptum. De linguæ usu suo dicemus loco. Rusticanum est impexo esse capite, adsit mundicies, non nitor puellaris. Absint sordes lendium & vermiculorum. Subinde scabere caput apud alios, parum decet: quemadmodum unguibus reliquum fricare corpus sordidum est, præsertim si fiat usu, non necessitate.

Coma nec frontem tegat, nec humeris involitet.

Sub-

Subinde concusso capite discutere capillitium, lascivientium est equorum. Cæsariem à fronte in verticem leva retorquere, parum elegans est, manu discriminare modestius.

Inflectere cervicem & adducere scapulas pigritiam arguit, resupinare corpus, fastus indicium est, molliter erectum decet. Cervix nec in lævum, nec in dextrum vergat, hypocriticum enim, nisi colloquium aut aliud simile postulet.

Humeros oportet æquo libramine temperare, non in morem antennarum alterum attollere, alterum deprimere.

Nam hujusmodi gestus in pueris neglecti, vertuntur in naturam, & corporis habitum præter naturam deformant. Itaque qui præ desidia collegerunt consuetudinem inflectendi corpus, sibi gibbum conciliant, quem natura non dederat: & qui deflexum in latus caput habere consueverunt, in eum habitum indurescunt, ut adulti frustra mutare nitantur. Siquidem tenera corpuscula plantulis similia sunt, quæ in quamcunque speciem furca funiculove deflexeris, ita crescunt & indurescunt.

Utrunque brachium in tergum retorquere, simul & pigritiæ speciem habet, & furis: neque multo decentius est altera manu in ilia injecta astare sedereve, quod tamen quibusdam elegans ac militare videtur. At non statim honestum est quod stultis placuit, sed quod naturæ & rationi consentaneum est. Reliqua dicentur quum ad colloquium, & convivium ventum erit.

Membra quibus natura pudorem addidit retegere citra necessitatem procul abesse debet ab indole liberali. Quin ubi necessitas huc cogit, tamen id quoque decente verecundia faciendum est, etiam si nemo testis adsit. Nunquam enim non adsunt angeli, quibus in pueris gratissimus est pudicitiæ comes custosque pudor. Quorum autem conspectum oculis subducere pudicum est, ea multo minus oportet alieno præbere contactui.

Lo-

Lotium remorari valetudini perniciosum, secreto reddere verecundum. Sunt qui præcipiant ut puer compressis natibus ventris flatum retineat. Atqui civile non est, dum urbanus videri studes morbum accersere. Si licet secedere, solus id faciat. Sin minus, juxta vetustissimum proverbium, Tussi crepitum dissimulet. Alioqui cur non eadem opera præcipiunt ne alvum dejiciant, quum remorari flatum periculosius sit quàm alvum stringere?

Diductis genibus sedere, aut divaricatis tibiis distortisve stare, Thrasonum est. Sedenti coeant genua, stanti pedes, aut certe modice diducantur. Quidam hoc gestu sedent, ut alteram tibiam altero genu suspendant, nonnulli stant decussatim compositis tibiis, quorum alterum est anxiorum, alterum ineptorum. Dextro pede in lævum femur injecto sedere priscorum regum mos est, sed improbatus. Apud Italos quidam honoris gratia pedem alterum altero premunt, unique propemodum insistunt tibiæ ciconiarum ritu, quod an pueros deceat nescio.

Itidem in flectendis genibus aliud apud alios decet dedecetve. Quidam utrunque pariter inflectunt, idque rursus alii recto corpore, alii nonnihil incurvato. Sunt qui hoc ceu muliebre rati, similiter erecto corpore primum dextrum incurvant genu, mox sinistrum, quod apud Britannos in adolescentibus laudi datur. Galli modulato corporis circumactu dextrum duntaxat inflectunt. In his in quibus varietas nihil habet cum honesto pugnans, liberum erit vel vernaculis uti moribus, vel alienis obsecundare, quando sunt quos magis capiant peregrina.

Incessus nec fractus sit, nec præceps, quorum alterum est mollium, alterum furiosorum, nec vacillans. Nam ineptam in incessu subclaudicationem Suiceris militibus relinquamus,

& iis

& iis qui magnum ornamentum ducunt, in pileo gestare plumas.

Sedentem pedibus ludere stultorum est, quemadmodum & manibus gesticulari, parum integræ mentis indicium est.

DE CULTU.

In summa dictum est de corpore, nunc de cultu paucis, eo quod vestis quodammodo corporis corpus est, & ex hac quoque liceat habitum animi conjicere. Quanquam hic certus præscribi modus non potest, eò quod non omnium par est vel fortuna, vel dignitas, nec apud omnes nationes eadem decora sunt aut indecora, postremo nec omnibus seculis eadem placent displicentve. Unde quemadmodum in aliis multis, ita hic quoque nonnihil tribuendum est, juxta proverbium, νόμῳ καὶ χώρᾳ, atque etiam καιρῷ, cui servire jubent sapientes. Est tamen in hisce varietatibus, quod per se sit honestum aut secus, velut illa quæ nullum habent usum, cui paratur vestis.

Prolixas trahere caudas in fœminis ridetur, in viris improbatur, an Cardinales & Episcopos deceat aliis æstimandum relinquo. Mulctitia nunquam non probro data sunt tum viris, tum fœminis, quandoquidem hic est alter vestis usus, ut ea tegat quæ impudice offenduntur oculis hominum. Olim habebatur parum virile, discinctum esse, nunc idem nemini vitio vertitur, quod indusiis, subuculis, & caligis repertis tegantur pudenda, etiamsi diffluat tunica. Alioqui vestis brevior quàm ut inclinanti tegat partes quibus debetur honos, nusquam non inhonesta est.

Dissecare vestem amentium est, picturatis ac versicoloribus uti, morionum est ac simiorum. Ergo pro modo facultatum ac dignitatis, proque regione & more adsit cultui mundicies, nec sordibus notabilis, nec luxum aut lasciviam aut fastum præ se ferens. Neglectior cultus

cultus decet adolescentes, sed citra immunditiam. Indecore quidam interularum ac tunicarum oras aspergine lotii pingunt, aut sinum brachialiaque indecoro tectorio incrustant, non gypso, sed narium & oris pituita.

Sunt quibus vestis in alterum latus defluit, aliis in tergum ad renes usque, nec desunt quibus hoc videatur elegans. Ut totum corporis habitum & mundum, & compositum esse decet, ita decet illum corpori congruere. Si quid elegantioris cultus dedere parentes, nec teipsum reflexis oculis contemplere, nec gaudio gestias, aliisque ostentes: nam alterum simiarum, alterum pavonum: mirentur alii, tu te bene cultum esse nescias. Quo major est fortuna, hoc est amabilior modestia. Tenuioribus in conditionis solatium concedendum est, ut moderate sibi placeant. At dives ostentans splendorem amictus, aliis suam exprobrat miseriam, sibique conflat invidiam.

DE MORIBUS IN TEMPLO.

Quoties fores templi præteris nudato caput, ac modice flexis genibus & ad sacra verso vultu, Christum salutato. Per ædem sacram ne transieris, nisi simili religione, saltem brevi precatiuncula Christum appelles, idque retecto capite, & utroque genu flexo.

Cum sacra peraguntur, totum corporis habitum ad religionem decet componere. Cogita illic præsentem Christum cum innumeris angelorum milibus. Et si qui regem hominem alloquutus circumstante procerum corona, nec caput aperiat, nec genu flectat, non jam pro rustico, sed pro insano haberetur ab omnibus: quale est illic opertum habere caput, erecta genua, ubi adest rex ille regum immortalis & immortalitatis largitor, ubi venerabundi circumstant ætherei spiritus?

Nec refert, si eos non vides, vident illi te, nec minus certum est illos adesse quam si videres eos oculis corporeis. Certius enim cernunt oculi fidei, quam oculi carnis. Indecentius etiam est quod quidam

quidam in templis obambulant, & peripateticos agunt. Atqui deambulationibus porticus & fora conveniunt non templa, quæ sacris concionibus, mysteriis, ac deprecationi dicata sunt.

Ad concionantem spectent oculi, huc attentæ sint aures, huc inhiet animus omni cum reverentia, quasi non hominem audias, sed Deum per os hominis tibi loquentem. Quum recitatur Evangelium, assurge, & si potes ausculta religiose. Quum in symbolo canitur, & homo factus est, in genua procumbe, vel hoc pacto te submittens in illius honorem, qui semet pro tua salute, quum esset supra omnes cœlos demisit in terras, quum esset Deus, dignatus est homo fieri, ut te faceret deum.

Dum peraguntur mysteria, toto corpore ad religionem composito ad altare versa sit facies, ad Christum animus. Altero genu terram contingere, erecto altero cui lævus innitatur cubitus, gestus est impiorum militum, qui domino Iesu illudentes dicebant, Ave rex Iudæorum. Tu demitte utrunque, reliquo etiam corpore nonnihil inflexo ad venerationem.

Reliquo tempore aut legatur aliquid è libello, sive precularum, sive doctrinæ salutaris, aut mens cœleste quippiam meditetur. Eo tempore nugas obgannire ad aurem vicini, eorum est, qui non credunt illic adesse Christum: huc illuc circunferre vagos oculos, amentium est. Existima te frustra templum adisse, nisi inde melior discesseris, puriorque.

DE CONVIVIIS.

In conviviis adsit hilaritas, absit petulantia: non nisi lotus accumbe, sed ante præsectis unguibus, ne quid in his hæreat sordium, dicarisque ῥυποκόνδυλος, ac prius clam reddito lotio, aut si res ita postulet, exonerata etiam alvo: & si forte strictius cinctum esse contingat, aliquantulum relaxare vincula consultum est, quod in accubitu parum decore fiat. Abstergens manus, simul abjice quicquid animo ægre est. Nam in convivio nec tristem esse decet, nec contristare quenquam.

Iussus consecrare mensam vultum ac manus ad religionem componito. Hoc muneris si cui alteri delegatum fuerit, pari religione tum auscultato, tum respondeto.

Sedis honorem alteri libenter cede, & ad honorationem locum invitatus, comiter excusa: si tamen id crebro serioque jubeat aliquis autoritate praeditus, verecunde obtempera, ne videare pro civili praefractus.

Accumbens utranque manum super mensam habe, non conjunctim nec in quadra. Quidam enim indecore, vel unam, vel ambas habent in gremio. Cubito vel utroque vel altero inniti mensae, senio morbove lassis condonatur, idem in delicatis quibusdam aulicis, qui se decere putant quicquid agunt, dissimulandum est non imitandum. Interea cavendum, ne proxime accumbenti cubito, neu ex adverso accumbenti pedibus sis molestus.

In sella vacillare & nunc huic nunc alteri nati vicissim insidere, speciem habet subinde ventris flatum emittentis, aut emittere conantis. Corpus igitur aequo libramine sit erectum. Mantile si datur, aut humero sinistro, aut brachio laevo imponito.

Cum honoratioribus accubiturus, capite pexo, pileum relinquito, nisi vel regionis mos diversum suadeat, vel alicujus autoritas praecipiat, cui non parere sit indecorum. Apud quasdam nationes mos est, ut pueri stantes ad majorum mensam capiant cibum extremo loco, retecto capite. Ibi ne puer accedat nisi jussus, ne haereat usque ad convivii finem, sed sumpto quod satis est, sublata quadra sua, flexo poplite salutet convivas, praecipue qui inter convivis est caeteris honoratior.

A dextris sit poculum & cultellus escarius rite purgatus, ad laevam panis. Panem una vola pressum, summis digitis refringere, quorundam aulicorum delitias esse finito; tu cultello seca decenter, non undique revellens crustum, aut utrinque resecans: delicatorum hoc est. Panem veteres in omnibus conviviis ceu rem sacram religiose tractabant,

bant, unde nunc quoque mos relictus est, eum forte delapsum in humum exosculari.

Convivium statim à poculis auspicari potorum est, qui bibunt, non quod sitiant, sed quod soleant. Nec ea res solum moribus est inhonesta, verum etiam officit corporis valetudini. Nec statim post sumptam ex jure offam bibendum, multo minus post lactis esum. Puero sæpius quam bis, aut ad summum ter in convivio bibere, nec decorum est, nec salubre. Semel bibat aliquandiu pastus de secundo missu, præsertim sicco: dein sub convivii finem, idque modice sorbendo, non ingurgitando, nec equorum sonitu. Tum vinum tum cervisia nihilo minus quam vinum inebrians, ut puerorum valetudinem lædit, ita mores dedecorat.

Aqua fervida convenit ætati, aut si id non patitur sive regionis qualitas, sive alia quæpiam causa, tenui cervisia utitor, aut vino nec ardenti, & aqua diluto. Alioqui mero gaudentes hæc sequuntur præmia, dentes rubiginosi, genæ defluentes, oculi lusciosi, mentis stupor, breviter, senium ante senectam. Antequam bibas præmande cibum, nec labra admoveas poculo nisi prius mantili aut linteolo abstersa, præsertim si quis suum poculum tibi porrigit, aut ubi de communi bibitur poculo.

Inter bibendum intortis oculis alios intueri illiberale est, quemadmodum & ciconiarum exemplo cervicem in tergum reflectere, ne quid hæreat in imo cyatho parum est liberale. Salutantem poculo resalutet comiter, & admotis labris cyatho paullum libans bibere se simulet: hoc civili nugone satis erit. Qui si rusticus urgeat, polliceatur se tum responsurum, quum adoleverit.

Quidam ubi vix bene consederint, mox manus in epulas conjiciunt. Id luporum est, aut eorum qui de chytropode carnes nondum immolatas devorant, juxta proverbium. Primus cibum appositum ne attingito, non tantum ob id quod arguit avidũ, sed quod interdum cum periculo conjunctum est,

dum qui fervidum inexploratum recipit in os, aut expuere cogitur, aut si deglutiat, adurere gulam, utroque ridiculus æque ac miser. Aliquantisper morandum, ut puer assuescat affectui temperare. Quo consilio Socrates ne senex quidem unquam de primo cratere bibere sustinuit.

Si cum majoribus accumbit puer, postremus nec id nisi invitatus manum admoveat patinæ. Digitos in jussulenta immergere agrestium est, sed cultello fuscinave tollat quod vult: nec id ex toto eligat disco, quod solent liguritores, sed quod forte ante ipsum jacet sumat: quod vel ex Homero discere licet, apud quem creber est hic versiculus,

Οἱ δ' ἐπ' ὀνείαθ' ἑτοῖμα προκείμενα χεῖρας ἴαλλον.

Id quoque si fuerit insigniter elegans, alteri cedat, & quod proximum est accipiat. Ut igitur intemperantis est in omnes patinæ plagas manum mittere, ita parum decorum patinam invertere, quo veniant ad te lautiora.

Si quis alius cibum porrexerit elegantiorem, præfatus excusatiunculam recipiat, sed resecta sibi portiuncula, reliquum offerat ei qui porrexerat, aut proxime assidenti communicet. Quod digitis excipi non potest, quadra excipiendum est. Si quis è placenta vel artocrea porrexit aliquid cocleari, aut quadra excipe, aut cocleare porrectum accipe, & inverso in quadram cibo, cocleare reddito. Si liquidius est quod datur gustandum sumito, & cocleare reddito, sed ad mantile extersum.

Digitos unctos vel ore prælingere, vel ad tunicam extergere pariter incivile est, id mappa potius aut mantili faciendum. Integros bolos subito deglutire ciconiarum est, ac balatronum. Si quid ab alio fuerit resectum, incivile est manum quadramve porrigere, priusquam ille structor offerat, ne videare præripere, quod alteri paratum erat. Quod porrigitur aut tribus digitis, aut porrecta quadra excipiendum. Si quod offertur non con-

congruit tuo ſtomacho, cave ne dixeris illud comici Clitiphonis, non poſſum pater; ſed blande agito gratias. Eſt enim hoc urbaniſſimum recuſandi genus. Si perſtat invitator, verecunde dicito aut non convenire tibi, aut te nihil amplius requirere.

Diſcenda eſt à primis ſtatim annis ſecandi ratio, non ſuperſtitioſa, quod quidam faciunt, ſed civilis & commoda. Aliter enim inciditur armus, aliter coxa, aliter cervix, aliter cratis, aliter carpus, aliter phaſianus, aliter perdix, aliter anas, qua de re ſigillatim præcipere, ut prolixum ſit, ita nec operæ pretium. Illud in univerſum tradi poteſt, Apitiorum eſſe omni ex parte, quicquid palato blanditur abradere. Abs te ſemeſa alteri porrigere, parum honeſti moris eſt.

Panem prærosum iterum in jus immergere ruſticanum eſt. Sicut & cibum manſum faucibus eximere, & in quadram reponere inelegans eſt. Nam ſi quid forte ſumptum eſt, quod deglutiri non expedit, clam averſus aliquo projiciat. Cibum ambeſum aut oſſa ſemel in quadram ſepoſita repetere, vitio datur. Oſſa, aut ſi quid ſimile reliquum eſt, ne ſub menſam abjeceris, pavimentum conſpurcans, nec in menſæ ſtragulam projice, nec in patinam repone, ſed in quadræ angulum ſepone, aut in diſcum qui apud nonnullos reliquiis excipiendis apponitur.

Canibus alienis de menſa porrigere cibum, ineptiæ tribuitur: ineptius eſt illos in convivio contrectare. Ovi putamen digitorum unguibus aut pollice repurgare ridiculum eſt: idem inſerta lingua facere magis etiam ridiculum, cultello id fit decentius. Oſſa dentibus arrodere caninum eſt, cultello purgare civile. Tres digiti ſalino impreſſi, vulgari joco dicuntur agreſtium inſignia. Cultello ſumendum eſt ſalis quantum ſatis eſt. Si longius abeſt ſalinum, porrecta quadra petendum eſt.

Quadram aut patinam cui ſaccharum aut aliud ſuave quiddam adhæſit, lingua lambere felium eſt, non hominum. Carnem prius minutim in quadra diſſecet, mox addito pane ſimul aliquamdiu mandat,

priusquam trajiciat in stomachum. Id non solum ad bonos mores, verum etiam ad bonam valetudinem pertinet.

Quidam devorant verius quam edunt, non aliter quam mox, ut aiunt, abducendi in carcerem. Latronum est ea tuburcinatio. Quidam tantum simul in os ingerunt, ut utrinque ceu folles tumeant buccæ, alii mandendo diductu labiorum sonitum edunt porcorum in morem. Nonnulli vorandi studio spirant etiam naribus, quasi præfocandi.

Ore pleno vel bibere, vel loqui nec honestum est, nec tutum. Vicissitudo fabularum intervallis dirimat perpetuum esum. Quidam citra intermissionem edunt bibuntve, non quod esuriant sitiantve, sed quod alioqui gestus moderari non possunt, nisi aut scabant caput, aut scalpant dentes, aut gesticulentur manibus, aut ludant cultello, aut tussiant, aut screent, aut expuant. Ea res à rustico pudore profecta nonnullam insaniæ speciem habet.

Auscultandis aliorum sermonibus, fallendum est hoc tædii si non datur opportunitas loquendi. Incivile est, cogitabundum in mensa accumbere. Quosdam autem videas adeo stupentes, ut nec audiant quid ab aliis dicatur, nec se comedere sentiant, & si nominatim appelles, velut è somno excitati videantur. Adeo totus animus est in patinis. Inurbanum est oculis circumactis observare quid quisque comedat, nec decet in quenquam convivarum diutius intentos habere oculos: inurbanius etiam transversim hirquis intueri, qui in eodem accumbunt latere: inurbanissimum, retorto in tergum capite contemplari, quid rerum geratur in altera mensa. Effutire si quid liberius inter pocula dictum factumve sit, nulli decorum est, nedum puero.

Puer cum natu majoribus accumbens, nunquam loquatur, nisi aut cogat necessitas, aut abs quopiam invitetur. Lepide dictis modice arrideat, obscœne dictis ne quando arrideat, sed nec frontem

tem contrahat ſi præcellit dignitate qui dixit, ſed ita vultus habitum temperet, ut aut non audiſſe, aut certe non intellexiſſe videatur. Mulieres ornat ſilentium, ſed magis pueritiam.

Quidam reſpondent priuſquam orationem finierit qui compellat, ita ſæpe fit, ut aliena reſpondens ſit riſui, detque veteri locum proverbio, ἄμας ἀπήτουν. Docet hoc rex ille ſapientiſſimus, ſtultitiæ tribuens reſpondere priuſquam audias, non audit autem qui non intellexit. Si minus intellexit percontantem, pauliſper obticeſcat, donec ille quod dixit ſponte repetat. Id ſi non facit, ſed reſponſum urget, blande veniam præfatus puer, oret ut quod dixerat dicat denuo. Intellecta percontatione, paululum interponat moræ, deinde tum paucis reſpondeat tum jucunde.

In convivio nihil effutiendum, quod offuſcet hilaritatem. Abſentium famam ibi lædere piaculum eſt. Nec cuiquam illic ſuus refricandus eſt dolor. Vituperare quod appoſitum eſt, incivilitati datur & ingratum eſt convivatori. Si de tuo præbetur convivium. ut excuſare tenuitatem apparatus urbanum, ita laudare aut commemorare quanti conſtiterint, inſuave profecto condimentum eſt accumbentibus. Deniq; ſi quid à quoquam in convivio fit ruſticius per imperitiam, civiliter diſſimulandum potius quam irridendum. Decet compotationem libertas. Turpe eſt, ſub dium, ut ait Flaccus, rapere, ſi quid cui ſuper cœnam excidit incogitantius. Quod ibi fit diciturve, vino inſcribendum, ne audias, μισῶ μνάμονα συμπόταν.

Si convivium erit quam pro puerili ætate prolixius, & ad luxum tendere videbitur, ſimul atque ſenſeris naturæ factum ſatis, aut clam, aut veniam precatus te ſubducito Qui puerilem ætatem adigunt ad inediam, mea quidem ſententia inſaniunt, neque multo minus ii qui pueros immodico cibo differciunt. Nam ut illud debilitat teneri corpuſculi viriculas, ita hoc animi vim obruit. Moderatio tamen ſtatim eſt diſcenda. Citra plenam

ſaturi-

saturitatem reficiendum est puerile corpus, magisque crebro quam copiose. Quidam se saturos nesciunt, nisi dum ita distentus est ventriculus, ut in periculum veniant ne dirumpatur, aut ne per vomitum rejiciat onus.

Oderunt liberos qui illos etiamnum teneros cœnis in multam noctem productis perpetuo sinunt assidere. Ergo si surgendum erit à prolixiore convivio, quadram tuam cum reliquiis tollito, ac salutato qui videtur inter convivas honoratissimus, mox & aliis simul, discedito, sed mox rediturus, ne videare lusus aut alterius parum honestæ rei gratia te subduxisse. Reversus ministrato, si quid opus erit, aut reverenter mensæ assistito, si quis quid jubeat expectans. Si quid apponis aut submoves, vide ne cui vestem jure perfundas.

Candelam emuncturus, prius illam è mensa tollito, quodque emunctum est, protinus aut harenæ immergito, aut solea proterito, ne quid ingrati nidoris offendat nares. Si quid porrigis infundisve, læva id facias caveto. Jussus agere gratias, compone gestus, paratum te significans donec silentibus convivis dicendi tempus adfuerit. Interim vultus ad convivio præsidentem reverenter versus sit & constanter.

DE CONGRESSIBUS.

Si quis occurrerit in via, vel senio venerandus, vel religione reverendus, vel dignitate gravis, vel alioqui dignus honore, meminerit puer de via decedere, reverenter aperire caput, nonnihil etiam flexis poplitibus. Ne vero sic cogitet, quid mihi cum ignoto, quid cum nihil unquam bene de me merito? Non hic honos tribuitur homini, non meritis, sed Deo. Sic Deus jussit per Solomonem, qui jussit assurgere cano: sic per Paulum qui presbyteris duplicatum honorem præcipit exhibere, in summa, omnibus præstare honorem quibus debetur honos, complectens etiam ethnicum magistratum: & si Turca, quod absit, nobis imperet, peccaturi simus si honorem magistratui debitum illi negemus.

De parentibus interim nihil dico, quibus secundum Deum primus debetur honos. Nec minor præceptoribus, qui mentes hominum quodammodo dum formant, generant. Iam & inter æquales illud Pauli locum habere debet, honore invicem prævenientes. Qui parem aut inferiorem honore prævenit, non ideo fit ipse minor, sed civilior, & ob id honoratior. Cum majoribus reverenter loquendum & paucis, cum æqualibus amanter & comiter. Inter loquendum pileum læva teneat, dextra leviter admota umbilico: aut quod decentius habetur, pileum utraque manu juncta suspensum, pollicibus eminentibus, tegat pubis locum. Librum aut galerum sub axilla tenere rusticius habetur. Pudor adsit, sed qui decoret, non qui reddat attonitum.

Oculi spectent eum cui loqueris, sed placidi simplicesque, nihil procax improbumve præ se ferentes. Oculos in terram dejicere, quod faciunt catoblepæ, malæ conscientiæ suspicionem habet. Transversim tueri, videtur aversantis. Vultum huc illuc volvere, levitatis argumentum est. Indecorum est interim vultum in varios mutare habitus, ut nunc corrugetur nasus, nunc contrahatur frons, nunc attollatur supercilium, nunc distorqueantur labra, nunc diducatur os, nunc prematur; hæc animum arguunt Protei similem.

Indecorum & illud, concusso capite jactare comam, sine causa tussire, screare, quemadmodum & manu scabere caput, scalpere aureis, emungere nasum, demulcere faciem, quod est veluti pudorem abstergentis, suffricare occipitium, humeros adducere, quod in nonnullis videmus Italis. Rotato capite negare, aut reducto accersere, & ne persequar omnia, gestibus ac nutibus loqui, ut virum interdum deceat, puerum minus decet.

Illiberale est jactare brachia, gesticulari digitis, vacillare pedibus, breviter non lingua, sed toto corpore loqui, quod turturum esse fertur, aut motacillarum, nec multum abhorrens à picarum moribus.

Vox ſit mollis ac ſedata, non clamoſa quod eſt agricolarum, nec tam preſſa, ut ad aures ejus cui loqueris non perveniat. Sermo ſit non præceps, & mentem precurrens, ſed lentus & explanatus. Hoc etiam naturalem battariſmum, aut hæſitantiam, ſi non in totum tollit, certe magna ex parte mitigat, quum præcipitatus ſermo multis vitium conciliet quod non dederat natura. Inter colloquendum ſubinde titulum honorificum ejus quem appellas repetere civilitatis eſt, Patris ac matris vocabulo nihil honorificentius, nihil dulcius, Fratris ſororíſve nomine nihil amabilius.

Si te fugiunt tituli peculiares, omnes eruditi ſunt tibi præceptores obſervādi, omnes ſacerdotes ac Theologi, reverendi patres, omnes æquales, fratres & amici, breviter omnes ignoti domini, ignotæ dominæ. Ex ore pueri turpiter auditur jusjurandum, ſive jocus ſit, ſive res ſeria. Quid enim turpius eo more, quo apud nationes quaſdam ad tertium quodq; verbum dejerant etiam puellæ, per panem, per vinum, per candelam, per quid non? Obſcœnis dictis, nec linguam præbeat ingenuus puer, nec aures accommodet. Denique quicquid inhoneſte nudatur oculis hominum, indecenter ingeritur auribus.

Si res exigat, ut aliquod membrum pudendum nominetur, circumitione verecunda rem noteſ. Rurſus ſi quid inciderit, quod auditori nauſeam ciere poſſit, velut ſi quis narret vomitum, aut latrinam, aut oletum, præfetur honorem auribus. Si quid refellendum erit, cave dicat, haud vera prædicas, præſertim ſi loquatur grandiori natu, ſed præfatus pacem, dicat, mihi ſecus narratum eſt à tali.

Puer ingenuus cum nemine contentionem ſuſcipiat, ne cum æqualibus quidem, ſed cedat potius victoriam ſi res ad jurgium veniat, aut ad arbitrum provocet. Ne cui ſe præferat, ne ſua jactet, ne cujuſquam inſtitutū reprehendat, aut ullius nationis ingenium moreſve ſugillet, ne quid arcani creditum evulget, ne novos ſpargat rumores, ne cujus obtrectet famæ, ne cui probro det vitium natura inſitum. Id enim non ſolum contumelioſum eſt & inhumanum,

ſed

ſed etiam ſtultum, veluti ſi quis luſcum appellet luſcum, aut loripedem loripedē, aut ſtrabum ſtrabum, aut nothum nothum. His rationibus fiet, ut ſine invidia laudem inveniat, & amicos paret.

Interpellare loquentem antequam fabulam abſolverit, inurbanum eſt. Cum nemine ſimultatem ſuſcipiat, comitatem exhibeat omnibus, perpaucos tamen ad interiorem familiaritatem recipiat, eoſque cum delectu. Ne cui tamen credat quod tacitum velit. Ridiculum enim eſt ab alio ſilentii fidem expectare quam ipſe tibi non præſtes. Nullus autē eſt adeo linguæ continentis, ut non habeat aliquem, in quem transfundat arcanum. Tutiſſimum autem eſt nihil admittere, cujus te pudeat ſi proferatur.

Alienarum rerum ne fueris curioſus, & ſi quid forte conſpexeris audieríſve, fac quod ſcis neſcias. Literas tibi non oblatas limis intueri parum civile eſt. Si fors te præſente ſcrinium ſuum aperit aliquis, ſubducito te. Nam inurbanum eſt inſpicere, contrectare aliquid inurbanius. Item ſi ſenſeris inter aliquos ſecretius oriri colloquium, ſubmove te diſſimulanter, & in ejuſmodi colloquium ne temet ingeras non accitus.

DE LUSU.

In luſibus liberalibus adſit alacritas, abſit pervicacia rixarum parens, abſit dolus, ac mendacium. Nam ab his rudimentis proficitur ad majores injurias. Pulchrius vincit qui cedit contentioni, quam qui palmam obtinet. Arbitris ne reclamita. Si cum imperitioribus certamen eſt, poſſiſque ſemper vincere, nonnunquam te vinci patere, quo ludus ſit alacrior. Si cum inferioribus luditur, ibi te ſuperiorem eſſe neſcias.

Animi cauſa ludendum eſt, non lucri gratia: Aiunt puerorum indolē nuſquam magis apparere, quam in luſu. Si cui ad dolos, ad mendacium, ad rixam, ad irā, ad violentiam, ad arrogantiam propenſius ingenium, hic emicat naturæ vitium. Proinde puer ingenuus nō minus in ludo quam in convivio ſui ſimilis ſit.

DE CUBICULO.

In cubiculo laudatur ſilentium & verecundia.

Certe clamor & garrulitas indecora eſt, multo magis in lecto. Sive cum exuis te, ſive cum ſurgis, memor verecundiæ, cave ne quid nudes aliorum oculis, quod mos & natura tectum eſſe voluit. Si cum ſodali lectum habes communem, quietus jaceto, neque corporis jactatione vel teipſum nudes, vel ſodali detractis palliis ſis moleſtus.

Priuſquam reclines corpus in cervical, brevi precatiuncula temet Chriſto commenda. Idem facito quum mane primum temet erigis, à precatiuncula diem auſpicans. Non enim potes ab omine feliciore.

Simul ac exoneraveris alvum, ne quid agas, niſi prius lota facie manibuſque, & ore proluto. Quibus contigit bene naſci, his turpe eſt generi ſuo non reſpondere moribus. Quos fortuna voluit eſſe plebeios, humiles aut etiam rureſtres, his impenſius etjam adnitendum eſt, ut quod ſors invidit, morum elegantia penſent. Nemo ſibi parentes aut patriam eligere poteſt, at ingenium moreſque ſibi quiſq; poteſt fingere.

Colophonis vice addam præceptiunculam, quæ mihi videtur propemodum primo digna loco. Maxima civilitatis pars eſt, quum ipſe nuſquam delinquas, aliorum delictis facile ignoſcere, nec ideo ſodalem minus habere charum, ſi quos habet mores inconditiores. Sunt enim qui morum ruditatem, aliis compenſent dotibus. Neque hæc ita præcipiuntur quaſi ſine his nemo bonus eſſe poſſit. Quod ſi ſodalis per inſcitiam peccet in eo ſane, quod alicujus videtur momenti, ſolum ac blande monere civilitatis eſt.

Hoc quicquid eſt muneris, Henrice fili chariſſime, univerſo puerorum ſodalitio per te donatum eſſe volui, quo ſtatim hoc congiario ſimul & commilitonum tuorum animos tibi concilies, & illis liberalium artium ac morum ſtudia commendes. Præclaram indolem tuam Ieſu benignitas ſervare dignetur, ſemperq; in melius provehere. Datum apud Friburgum Briſgoiæ, menſe Martio, anno CIↃ.IↃ. XXX.

FINIS.

a-
e-
i-
m
e-
o-

e-
o
a-
e-

si
i-
n
e-
r-
m
n
o-

æ
a-
n-
o-
es
is
ar
is
e-
st.
e,
se
o-
a-
a-
e-
i-
x.